ROGERI WVIDDRINGTONI CATHOLICI ANGLI RESPONSIO APOLOGETICA.

ad

Libellum cuiusdam Doctoris Theologi, qui eius pro iure Principum Apologiam tanquam *fidei Catholicæ apertè repugnantem*, atque *Ethnicismum sapientem*, falsò, indoctè, & seditiosè criminatur.

Qui fodit foueam incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.
ECCLESIASTI. CAP. 27.

COSMOPOLI
Apud Pratum.
1612.

BRITISH MUSEUM

PRAEFATIO AD LECTOREM.

EDidi non ita pridem (Christiane Lector) Apologiam pro Iure Principum aduersus rationes Card. Bellarmini, qui suam sententiam pro potestate Papali Principes abdicandi, vt rem de fide certam demonstrare, & contrariam quorundam Catholicorum opinionem tanquam hæreticam impugnare contendit. Quæ quidem Apologia (quam ego, Deus mihi testis est, non studio contradicendi, aut Card. Bellarminum, quem plurimùm veneror, tra-

ducendi, sed gratia tantùm veritatis inuestigandæ, & quosdam Catholicos pios, eruditos, atque de Ecclesia Catholica optimè meritos, qui si in viris essent, aliorum patrocinio ad se defendendos minimè indigerent, à fædissima hæreseôs *nota vindicarem, confeci) à nonnullis pessimè excepta est, qui eam miris clamoribus insectantur, & pueros, mulierculas, viroſque præsertim indoctos, & vix syllabam illius intelligentes inducunt, vt eam quibuscunque maledictionibus, atque execrandis contumelijs ignominioſè lacessant. Aiunt enim (vt leuioris momenti conuitia præteream) esse librum* temerarium, scandalosum, erroneum, *quin &* fidei Catholicæ ex toto repugnantem.

2 Quæ enim, *inquiunt*, maior temeritas excogitari potest, quàm vnum, vel alterum obscuri nominis

Au-

Auctorem septuaginta Doctoribus clarissimis à Card. Bellarmino recensitis, quin etiam, *vt ipse Bellarminus affirmat*, * Scriptoribus Catholicis omnibus, tum Theologis, tum sacrorum Canonum, ac ciuilium legum professoribus sese opponere, & tanquam alterum Goliath aduersus acies omnium Catholicorum procedere ausos esse?

* In Præfat. contra Barclaium.

An non etiam incredibilis arrogantia est tot virorum grauissimorum non doctrina tantùm, sed sanctitate etiam illustrium concordi sententiæ non solùm non acquiescere, verùm etiam in eos nefandam perduellionis culpam impingere, *sicut Widdringtonum feciſſe ſatis apertum eſſe aiunt*, cum eos, qui potestatem Principes deponendi summo Pontifici attribuunt, grauissi-

mam ſupremis Principibus iniuriam irrogare, & ſi ſubditi ſint, in deteſtandum læſæ maieſtatis crimen incurrere non ſemel, ſed ſæpiùs in ſua Apologia aſſerere videatur?

3 Quod verò hæc VViddrintoni Apologia ſit valde ſcandaloſa, *nimis manifeſtum eſſe dicunt*, cum Principibus ſecularibus licentiam tribuat libros prohibendi, quod tamen ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores, Epiſcopos, ſummumque duntaxat Pontificem pertinere videtur: ijſdemque Principibus anſam præbeat Eccleſiam impunè perſequendi, & ſcelera quæcunque liberè, & abſque pœnæ temporalis periculo perpetrandi; atque etiam Prædicatores ad fidem Catholicam dilatandam à ſummo Pontifice miſſos pro arbitrio repellendi,

ex quibus profectò maxima ſequutura eſſe ſcandala nemo inficiari poteſt. Quin etiam ipſum Card. Bellarminum potiſſimum hoc tempore Eccleſiæ Catholicæ aduerſus Sectarios propugnatorem inſulſè admodum perſtringere videtur, dum & titulum tam ignominioſum ſuæ Apologiæ apponit, & ipſum tanquam quæſtionem hanc grauiſſimam minùs ſyncerè pertractantem, & ſibimetipſi in multis contradicentem ex ſuiſmet principijs confutare, & proprio gladio iugulare prætendit; quod ſanè non abſque graui ſcandalo nimis amplam tum Catholicis occaſionem dare videtur, ne reliquis ſuis controuerſiarum libris debitus ille honor, in quo hucuſque ab omnibus ſunt habitæ, deinceps deferatur:

tum etiam Ecclesiæ Catholicæ aduersarijs, nec ad Ecclesiæ gremium tam cito reuertantur, dum Catholicos ipsos linguis suis, quasi gladijs quibusdam, se inuicem cõfodere, & calamos suos adeo hostiliter in se mutuo stringere conspiciunt.

4 *Demum*, quòd VViddringtoni liber sit planè hæreticus, & fidei Catholicæ omni ex parte repugnans, aut saltem à fide deuians, perspicuè probat Card. Bellarminus ex nouem Concilijs, quorum tria generalia sunt, à summo Pontifice approbatis; neque enim ab hæresi, aut errore saltem excusari posse videtur, qui vocem Ecclesiæ audire contemnit, & tot Concilijs, quæ doctrinam Catholicam apertè declarant, sciens, & volens contradicere præsumit.

5 *Hæc*

5 *Hæc ſunt præcipua, quæ rigidi iſti Cenſores ex nimio ſpiritus ſui feruore aduerſus meam Apologiam obiectant, quæ omnia refellere, méque ab eorum calumnijs vindicare non valde laboriosum eſſe reor. Quod ſi in iſtis calumnijs obterendis nimium prolixus eſſe videar, & debitæ proportionis, quæ tam parui libelli Præfationi congruit, modum excedam, ſupplex à te, Lector beneuole, veniam peto; neque enim tam commodam me iniuſtè accuſatum defendendi opportunitatem nactus, meam à peſſimis hiſce criminibus purgationem vlteriùs differendam eſſe duxi.*

6 *Atque, vt ſingula capita eodem, quo propoſita ſunt, ordine, eáque, qua poſſum, breuitate percurram, inprimis definitionem* temerarij, *prout in præſenti à Theologis ſumi ſolet (vt plures alias*

alias temeritatis *acceptiones, quas ijdem Theologi tradunt, nunc missas faciam) à Dominico Bannes* a *Theologo doctissimo, & qui nouissimè post Melchiorem Canum, quem ipse citat, de hac materia scripsit, accipiam:* Si, *inquit,* definitionem nominis *temerarij* considereremus, omnis propositio hæretica, & erronea est satis *temeraria.* Sed tamen accipitur specialiter propositio *temeraria*, quando aliquis asserit quidpiam contra communem opinionem Ecclesiæ, aut Theologorum sine magna auctoritate in materia graui. *Vtrum autem hæc definitio* temerarij *propriè sumpti, quam Card. Bellarminus, vt opinor, admittet, vel saltem vt* improbabilem *non reijciet, Widdringtoni Apologiæ iure attribui possit, iam disquirendum est.*

a 2.2.q.11. ar.2.

7 *Rem*

7 *Rem quidem, de qua nunc agitur, fateor esse grauissimam, vtpote ad supremam potestatis Ecclesiasticæ, & ciuilis iura spectantem, neque de hoc vlla inter nos controuersia existit. Itaque hæc duo tantùm examinanda restant;* primum, *an quidpiam in Widdringtoni libro contineatur, quod communi Ecclesiæ, aut Theologorum opinioni aduersetur;* secundum, *an si tale quid inueniatur, illud sine magna auctoritate asseratur. Si enim vel nihil comprehendat, quod communi Ecclesiæ, aut Theologorum sententiæ repugnet, vel si tale aliquid affirmet, illud non sine magna auctoritate asseueret, prædictam temeritatis culpam vtiq; deuitabit, eamque potius in suos aduersarios iuxta legem talionis retorquebit.*

8 *Verùm ante omnia attendere te oportet Lector erudite (ad te enim potissimùm*

tißimùm ſermonem meum dirigo) quinam ſit ſcopus, ad quem Widdringtonus ſuam pro Iure Principum Apologiam collineat, & quidnam ſit illud de quo ipſe cum Card. Bellarmino contendit; hoc enim ſemel cognito, multo faciliùs dijudicare poteris, vtrum iure, vel iniuria prædicta crimina illi obijciantur. Non igitur ea Widdringtoni mens eſt, vt quidam imaginantur, communiorem Theologorum ſententiam, quæ poteſtatem Principes deponendi ſummo Pontifici attribuit, vt manifeſtè falſam *refellere, aut contrariam vt veram* certiſſimis rationibus demonſtrare; *ſed cum paucißimi quidam recentiores, & potißimùm Card. Bellarminus, tam mordicùs, tantóque impetu auctoritatem hanc Papalem abdicandi Principes defendendam in ſe ſuſceperint, vt eam euidentißimè conuincere opinarentur*

tur, eosq; Catholicos, qui huic sententiæ non applaudunt, hæreseôs nota aspergere non formidarent, hoc solum mihi institutum erat, vt rationibus Card. Bellarmini probabiliter saltem responderem, viroſque Catholicos pios, ac eruditos ab execrando hęreseôs crimine, quo immeritò notantur, vindicarem, adeóque non certis, sed probabilibus rationibus ex eius principijs commonstrarem, sua argumenta non esse ita vsquequaque certa, ac demonstratiua, vt perspicuè demonstrent, eos, qui talem auctoritatem inficiantur, non esse in fidelium cœtu numerandos, vel à sacramentorum participatione excludendos.

9 Quapropter præsens controuersia, quæ inter me, & Card. Bellarminum iam agitatur, non est de hac simplici enunciatione, an Papa possit, vel

vel non poßit Principes ob hæreßim abdicare, ßed de iſta modali, *vtrum adeo certum ſit talem deponẽdi Principes auctoritatem ſummo Pontifici ex Chriſti inſtitutione competere, vt qui contrariam opinionem tuentur, manifeſto* hæreſeôs, erroris, culpæve læthalis *periculo ſeſe exponant. Vnde, tametſi ego quædam argumenta ab incommodis deſumpta, quæ dialectici ad impoßibile appellant, in mea Apologia adduxerim, ad probandum, talem poteſtatem non eſſe à Chriſto Domino ſummo Pontifici communicatam, qui tamen eam diligenter inſpexerit, ſtatim perſentiet, me non rationes certas, quæ aſſenſum firmum, ac indubitatum gignunt, ſed verißimiles duntaxat, & ex principijs credibilibus petitas, quæ perſuaſionem probabilem procreare valent, adducere voluiſſe.*

10 *Atque hinc cuiuis liquidò constare potest, Widdringtonum nec Theologis, nec communi Ecclesiæ, aut Doctorum opinioni, sed paucissimis duntaxat scriptoribus sese opponere, cum pauci admodum ex illis septuaginta Auctoribus à Bellarmino relatis inueniantur, qui, tametsi forsan sentiant potestatem Principes suis Regnis ob enormia facinora priuandi summo Pontifici à Christo Domino concessam esse, non tamen adeo tenaciter suæ opinioni adhærent, vt contrariam amplexantibus* hæreseôs *notam inurant. Et nisi Card. Bellarminus in posterioribus suorum operum editionibus, nullam planè de nouo ad suam sententiam confirmandam rationem adducens, contrariam Catholicorum opinionem vt* hæreticam *condemnasset, sed cuiuis in propria sua, quam veriorem arbitraretur, opi-*

nione

nione abſque hæreſeôs *periculo perſiſtere integrum permiſiſſet, non habuiſſet profectò Widdringtonum, qui ſibi aduerſaretur, aut qui ſuas rationes, tanquam ad rem de fide certam demonſtrandam minùs ſufficientes, euertere attentaſſet.*

11 *Deinde, neque etiam ſententia Barclaij communi Eccleſiæ, aut Doctorum opinioni aduerſaria cenſenda eſt; nomine enim communis opinionis in definitione temerarij poſitæ nõ intelligitur illa, quæ minus communi, ſed quæ ſingulari opponitur. At conſtat ſententiam Barclaij non eſſe vnius, aut alterius ſingularem, quicquid Card. Bellarminus toties* vnum Barclaium, ſolum Barclaium, tanquam alterum Goliath aduerſus omnes Scriptores Catholicos *ingeminans aſſeueret; cum plurimos ego Authores, qui eam amplectuntur,*

ctuntur, in mea Apologia recensuerim, atque vt optimè scribit Trithemius, de hac re certant Scholastici, & adhuc sub Iudice lis est, an Papa possit Imperatorẽ deponere; *& propterea eius opinio ad hunc effectum, vt eam tutò sequi liceat, communis dici potest.*

12 Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, *ait Canus,* [b] si alij contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel grauior etiam auctoritas comprobârit. Vnde in Scholastica disputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet, sed si paucos viros modò graues secum habet, poterit sanè aduersus plurimos stare. *Et pulchrè Nauarrus,* [c] Non videtur, *inquit,* vna

[b] Lib. 8. de locis, cap. 4.

[c] In Manual. c. 27. nu. 289.

opinio appellanda communis ad effectum præiudicandi alteri eo solo, quòd plures eam sequantur, tanquam oues aliæ alias, quæ vnam volantem aliæ omnes sequuntur. Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam sex, vel septem auctores classici rem ex professo tractantes assererent, quàm probatam à quinquaginta sola fere auctoritate priorum ductis. Opinio enim communis non ex numero opinantium, sed ex pondere auctoritatis fit. Quin & arbitror vtramque ád hoc posse dici communem, quando vtraque habet octo, vel decem assertores graues, & cum iudicio eam deligentes. *An non in generali Chalcedonensi Concilio circa primatum Romani Pontificis tres, quatuor ve Episcopi sexcentis ferme Episcopis, totique*

tique Concilio sese opposuere, quos tamẽ procul dubio non esse eapropter temeritatis nota aspergendos Card. Bellarminus constanter affirmabit? Iam si quis primam huius opinionis, quæ potestatem Principes deponendi summo Pontifici attribuit, originem, & progressionem diligenter consideret, facile inueniet, posteriores huius opinionis assertores non tam vi rationũ motos, quàm priorum auctoritate tractos eam sequutos esse.

13 *Neque etiam satis firmiter comprobari potest, opinionem hanc pro potestate Papali Principes abdicandi esse adeo communem, vt Card. Bellarminus tanquam certum supponit. Etenim non adeo clarum est, septuaginta illos Auctores, quos ipse tanquam tot milites loricatos in suæ opinionis patrocinium adducit, eosque, vt maiorem*

aduersario tot armatorum agmina in frontispicio intuenti terrorem incutiat, ordine quasi militari artificiosè disponit, suæ sententiæ omnimodò patrocinari. Nam, vt taceam plurimos ex illis non sententiam Card. Bellarmini pro dominio summi Pontificis indirectè in tẽporalibus, quam ipsi acriter impugnant, propugnare, sed planè directum dominium, quod ipse improbat, magno applausu approbare; inprimis constat Alexandrum Halensem Doctorem *sanè* irrefragabilem[d] *vtrumque dominium, tam directum, quã indirectum, expressissimis verbis confutare, neque quid Almainus senserit, est adhuc, vt alibi* [e] *vidimus, satis exploratum.*

d Vide inferius nu. 190.

e Nu. 122. meę Apolog.

14 *Deinde, ex illis septuaginta quidam tam generalibus verbis vtuntur, quòd nimirum* potestas spiritualis se extendat ad temporalia, *quòd* potestas

potestas temporalis subdita sit spirituali, & *quòd* gladius gladio subijciatur, &c. *vt de subiectione quoad pœnas tantùm spirituales, non temporales, & de potestate imperandi temporalia, non autem de temporalibus disponendi commodè intelligi possint. Alij non de Regibus in vniuersum, sed de Imperatore tantùm Romano apertissimè loquuntur, de quo, an eadem planè sit ratio, atque de alijs Regibus, ob aliquod forsan pactum inter ipsum, & summum Pontificem initum, & ob Iuramentum fidelitatis, quod Papæ præstat, in disputationem vocari potest. Quid autem Imperator vi illius Iuramenti, quod verè fidelitatis esse Concilium Viennense decernit, pollicetur, & in quo fidelitas illa propriè consistat, non est nostri instituti iam examinare.*

15 *Præterea, quid impedit, quo*

minùs plurimi ex illis septuaginta Auctoribus, qui docent Papam Reges, & Imperatores deponere posse, eodem modo explicari nequeant, quo Doctores illi in mea Apologia relati vnà cum Glossa aperta Gregorij septimi verba interpretantur, asserentis Romanum Pontificem Zachariam Regem Francorum à Regno deposuisse, *id est*, deponentibus concessisse, *vel* deponẽdum declarasse, *seu eius depositionem vt licitam consuluisse, suáque auctoritate approbasse?* Quo fit, vt pauci admodum ex illis septuaginta Auctoribus, nisi qui postremo hoc seculo de hac materia scripserunt, adeo aperte sententiam Card. Bellarmini sequantur, quin eorum verba ad aliquem ex præfatis sensibus optimè accommodari possint.

16 *Verum esto, admittamus hanc Card. Bellarmini sententiam esse ab illis*

septua-

ſeptuaginta, aliÿ ſque præterea Doctoribus communiter receptam; ſi quis tamen communi Eccleſiæ, aut Doctorum opinioni cum magna auctoritate refragatur, is nequaquam temerarius *iuxta prædictam* temerarij *deſcriptionem exiſtimandus eſt. Vtrum autem Widdringtonus rationes ſufficientes attulerit, ad eos Catholicos à* temeritatis *vitio excuſandos, qui talem deponendi Principes poteſtatem ſummo Pontifici non concedunt, prudens Lector ex eius Apologia facillimè iudicabit, in qua tum prætenſas Card. Bellarmini demonſtrationes funditus euertit, tum plures ſanctorum Patrum, ſummorum Pontificum, aliorúmque Doctorum auctoritates producit, qui gladium duntaxat ſpiritualem, & non materialem Eccleſiaſticæ poteſtati competere, & Principes ſupremos à ſolo Deo pœnis tẽporalibus*

coercendos esse affirmant; tum etiam octo ad minimum Auctores graues (quin & totum Franciæ regnum si Petro Pithœo fides adhibenda sit) qui iuxta Na-
*Nu. 12. uarri superiùs * citati doctrinam, opinionem illam, quam sequuntur, ad hunc effectum vt eam tutò amplecti possimus, communem reddere valent, contra prædictam Bellarmini sententiam, quæ communis dici solet, allegat: tum postremò diuersas causas assignat, quare hæc opinio, quæ potestati summi Pontificis in temporalibus fauet, adeo communis sit; & à primis suis primordijs ad hæc vsque tempora tantopere increbuerit; quas eius rationes si quis seriò considerauerit, meritò profectò mirari poterit, quòd in libris Catholicorum vllum ommino iam extet monumentum, in quo hanc summi Pontificis potestatem temporalem à Doctoribus Scholasticis

ſticis in controuerſiam vocari vel ſub-obſcurè ſignificetur.

17 *At inquiunt aduerſarij*, neque VViddringtonum ſuis rationibus efficaciter demonſtraſſe, quòd prædicta Principes abdicandi poteſtas in ſummo Pontifice non reſideat, neque etiam auctoritates Doctorum fideliter recenſuiſſe, cum quidam ex illis, quos ipſe pro ſua ſententia citat, & præſertim *Gregorius Tholoſanus*, & *Antonius de Roſellis*, diſertè affirment, poſſe ſummum Pontificem Principes hæreticos ſuis Regnis exuere. *Verùm friuolas eſſe iſtas obiectiones cuilibet erudito eius Apologiam attentè perlegenti luculenter apparebit. Hoc enim potißimùm Widdringtono inſtitutum erat, vt argumentis Cardinalis Bellarmini probabiliter ſaltem reſpon-*

responderet, & non rationes demonstratiuas, quæ contrariam sententiam euidenter concludant, produceret. Sed quoniam argumentorum solutio nullum contrariæ opinionis positiuum assensum ex se producere valet, tametsi ad assentiendum mentē vtcunq; disponat, visum est Widdringtono non solùm rationes Card. Bellarmini refellere, verùm etiam argumenta quædam probabilia tum ex principijs extrinsecis, tum ex intrinsecis petita contra opinionem communem in medium proferre, quæ, licet intellectum ad applaudendum non planè cogant, eum tamen ad assentiendum rationabiliter inclinent.

18 *Idcirco autem* Gregoriū Tholosanum, & Antoniū de Rosellis *aduersus Bellarmini sententiam adducit, quia non solum Auctores, qui oppositam expressè sequantur, sed fautores etiam pro-*

proferre intendit. Constat autem præfatos Doctores in eo Card. Bellarmini sententiæ apertißimè aduersari, quòd existiment non posse summum Pontificem Principes supremos ob crimina merè secularia, quæ tamen bono spirituali obsunt, deponere. Præterquã quòd Antonius de Rosellis subdubitanter, & disiunctiuè affirmet, * posse summum Pontificem Imperatorem vel imperio priuare, vel priuandum declarare, adeo vt ipse in sententiam Ioan. Parisiensis, qui potestatem Principes deponendi non Pontifici, sed Reipublicæ attribuit, propendere videatur.

* In sua monarchia, parte 1, cap. 63.

19 Denique, secundum illud temeritatis crimen, quod Widdringtono obijciunt, eum nimirum Doctoribus illis, qui hanc summi Pontificis deponendi Principes potestatem tuentur, nefandum perduellionis crimen impingere, mera

mera calumnia, & impostura est. Neque enim Widdringtonus in quinta sua ratione, [b] *quam isti calumniantur, aliud affirmat, quàm non posse* sufficientem assignari rationem, quamotus quispiam supremorum Principum colla, absque maxima ipsorum iniuria, alterius potestatis iugo subijcere queat; *sed* [c] tales contra Principum sceptra machinationes esse ex se, suoq; genere illicitas, & supremis Principibus summè iniurioſas, *liberè, & absque hæsitatione, quod sibi probabilius videtur, pronunciat: & propterea, non satis adhuc sibi constare asserit,* [d] *quanam via* à perduellionis crimine excusari possint subditi, quamcunque opinionem circa potestatem Pontificis temporalem speculatiuè tueantur, qui practicè, sub prætextu forsan *religionis*, & deuotionis

b Nu.63. suæ Apologiæ.

c Nu.447. suæ Apologiæ.

d Nu.471. suę Apologiæ.

tionis erga ſedem Apoſtolicam, non æquè etiam perpendentes debitum ſuæ ſeruitutis erga Maieſtatem Regiam obſequium, Principem ſuum legitimum, non obſtante quacunque Excommunicatione, aut depriuatione Papali, è Regni ſui poſſeſſione, quamdiu lis hæc de Principum depoſitione ſub Iudice exiſtit, expellere niterentur.

c D. Gulielm. Biſhop. Ioan. Colleton. Ioan. Muſh. Robert. Charnocke. D. Ioan. Boſſeuile, Anton. Hebborne. Rogerus Cadwalader. Robert Drury.

20 *Atque hanc ipſam ſententiam ſequi tenentur, vt factum ſuum legitimum reddant, tredecim illi Sacerdotes Angli,* c *omneſque etiam nunc, duobus duntaxat demptis, ſuperſtites, (quorum nomina, niſi priùs publicata fuiſſent, vtique reticuiſſem) qui, vt* Reginæ Elizabethæ fidelitatem ſuam probarent, publico ſcripto proteſtati ſunt, & vniuerſo Orbi Chriſtiano teſtatum fecerunt, eam, *tametſi*

D. Anton. Champney. Ioan. Iackſon. Franciſ. Barnebey. Oſwold. Needham. Richard. Button. E quibus tres Sorbonicæ Scholæ Doctores Theologi ſunt, reliqui vero viri graues, pij, & eruditi à Catholicis habentur.

metsi tunc nominatim excommunicatã, & per sententiam summi Pontificis Pij quinti regnandi auctoritate priuatam, non minùs tamen plena auctoritate, potestate, & superioritate in eos, reliquosque omnes huius Regni subditos, quàm vnquam è maioribus suis quemlibet, dominari. *Et* non obstante quauis auctoritate, vel excommunicatione quacunque denuntiata, aut denuncianda vel contra ipsam Reginam, vel contra Maiestatis suæ subditos, qui ab eius, éiusve dominiorum defensione non recederent, se tamen Principem, & patriam suam contra quoscunque defensuros, omnemque in causis ciuilibus obedientiam Maiestati suæ exhibituros esse publicè, & solenniter promiserunt *.

* extat hæc fidelitatis professio in fine Examinationis M. Georgij Blackuelli, p. 203.

21 *Hoc igitur primo temeritatis crimine*

crimine repulso, iam ad secundum de scandalo propellendum veniamus. Quidam hisce diebus propriarum opinionum adeo tenaces sunt, vt, quicquid ipsi illicitum esse semel apud sese statuerunt, illico ab omnibus etiam cum maximo ipsorum incommodo tẽporali tanquam illicitum condemnandum esse vellent. Et si ab illis ratio exigatur, qua moueantur, ad talem actionem, vt illicitam, tam fidenter condemnandam, cum alij contrà sentientes eam nulla lege, naturali, vel diuina, Ecclesiastica, vel ciuili prohibitam esse opinentur, continuò ad scandalum, si aliaratio illis non suppetat, confugere solent, & scandalum, scandalum, conclamitare assuescunt.

Scandalum esse dictum, vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ *Theologi*[f] *definiunt; in qua tamen definitione explicanda multùm*

[f] S. Hieronym. in cap. 18. 15. Math. S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. & alij Theologi ibidem.

tùm insudant, atque in singulis conditionibus, quæ operationem aliquam scandalosam reddunt, assignandis non adhuc inter se consentiunt. In hoc tamen omnes conueniunt, nullam omnino actionem, quæ lege præsertim naturali præcipitur, veram ruinæ occasionem præbere posse, & si inde aliquis peccandi ansam arripiat, non datum, sed acceptum esse scandalum vniuersi cõfitentur. Hinc fit, vt reddere vnicuique quod suum est, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo, nemini occasionem ruinæ præbere queat, quin potius Principibus ius suum, quod lex naturæ illis concedit, eripere est valde scandalosum, & legi tum diuinæ, tum naturali quàm maximè dissentaneum.

22 Atque hinc singulæ de scandalo criminationes, quas seueri isti Aristarchi Widdringtono intentant, in seipsos facilè

facilè retorqueri possunt. Constat enim apud omnes Theologos, penes rempublicam ciuilem esse auctoritatem sufficientem, qua vitia castigare, ciuium quieti consulere, seipsam conseruare, & quamcunq; iniuriam, aut imminentem gladio visibili, qui potestati ciuili congruit, propulsare, aut illatā vlcisci poterit. Ex quo principio vel ipso naturali lumine notissimo euidentissimè colligitur, posse Rempub. ciuilem libros quoscunq; seditiosos, quà seditiosi sunt, & iura Principum iniquè violant, sub pœnis temporalibus prohibere (sicut & summo Pontifici eosdem, vt saluti spirituali obsunt, pœnis spiritualibus profligare competit) atque Prædicatores tumultuosos, & statui suo politico verè aduersarios, quique alijs machinationibus illicitis, quàm ex pura Euangelij prædicatione, quæ debito modo facta nemini iniuriam infert,

temporalem ſuæ reipublicæ quietem illicitè perturbant, in Regnum ſuum non admittere, neque hæc, meo quidem iudicio, abſque maximo ſcandalo in dubitationem vocari poſſunt.

23 *Neque Widdringtonus Principibus maiorem occaſionem tribuit, aut Eccleſiam perſequendi, aut licentiùs viuendi, quàm cæteri Doctores ab eo in ſua Apologia relati, & præſertim Alexander Halenſis vir inſigni pietate, & eruditione præditus, (cuius Doctrina à ſummo Pontifice Alexandro quarto, & ſeptuaginta Theologis* g *vt à veritate Catholica minimè diſſentiens approbata eſt) qui diſertis verbis affirmat,* Reges, ſi deliquerint, à ſolo Deo pœnis temporalibus caſtigari poſſe; *ex qua doctrina ſi aliqui forſan Principes anſam peccandi ſumant, illud non Doctorum vitio, ſed humanæ Principum infir-*

g Vide infra nu. 190. in margine.

infirmitati ascribendum est. Denique, innocentes defendere, veritatem quasi per vim oppressam tueri, virósque Catholicos pios, & eruditos, qui suam innocentiam, cum in viuis non sint, propugnare non valent, à pessimo hæreseôs *crimine vindicare, tametsi inde in eorum aggressores aliqua suæ famæ iactura forsitan resultet, nullam iustam offensionis occasionem præbet.*

24 *Quod ad titulum attinet, quem ego, vt liber ipse & auidiùs perquireretur, & attentiùs perlegeretur, eo modo inscripsi, cum fini, scopo, & materiæ ipsius libri consentiens sit, non magis, quàm liber ipse displicere potest. Si Illustrissimum Bellarminum in aliquo offenderim, doleo sanè plurimùm; non enim nocendi animo, sed veritatem inuestigandi, atque viros innocentes à lethali noxa vindicandi gratia, quidquam*

tùm insudant, atque in singulis conditionibus, quæ operationem aliquam scandalosam reddunt, assignandis non adhuc inter se consentiunt. In hoc tamen omnes conueniunt, nullam omnino actionem, quæ lege præsertim naturali præcipitur, veram ruinæ occasionem præbere posse, & si inde aliquis peccandi ansam arripiat, non datum, sed acceptum esse scandalum vniuersi cõfitentur. Hinc fit, vt reddere vnicuique quod suum est, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo, nemini occasionem ruinæ præbere queat, quin potius Principibus ius suum, quod lex naturæ illis concedit, eripere est valde scandalosum, & legi tum diuinæ, tum naturali quàm maximè dissentaneum.

22 Atque hinc singulæ de scandalo criminationes, quas seueri isti Aristarchi Widdringtono intentant, in seipsos facilè

facilè retorqueri possunt. Constat enim apud omnes Theologos, penes rempublicam ciuilem esse auctoritatem sufficientem, qua vitia castigare, ciuium quieti consulere, seipsam conseruare, & quamcunq; iniuriam, aut imminentem gladio visibili, qui potestati ciuili congruit, propulsare, aut illatà vlcisci poterit. Ex quo principio vel ipso naturali lumine notissimo euidentissimè colligitur, posse Rempub. ciuilem libros quoscunq; seditiosos, quà seditiosi sunt, & iura Principum iniquè violant, sub pœnis temporalibus prohibere (sicut & summo Pontifici eosdem, vt saluti spirituali obsunt, pœnis spiritualibus profligare competit) atque Prædicatores tumultuosos, & statui suo politico verè aduersarios, quique alijs machinationibus illicitis, quàm ex pura Euangelij prædicatione, quæ debito modo facta nemini iniuriam infert,

temporalem ſuæ reipublicæ quietem illicitè perturbant, in Regnum ſuum non admittere, neque hæc, meo quidem iudicio, abſque maximo ſcandalo in dubitationem vocari poſſunt.

23 *Neque Widdringtonus Principibus maiorem occaſionem tribuit, aut Eccleſiam perſequendi, aut licentiùs viuendi, quàm cæteri Doctores ab eo in ſua Apologia relati, & præſertim Alexander Halenſis vir inſigni pietate, & eruditione præditus, (cuius Doctrina à ſummo Pontifice Alexandro quarto, & ſeptuaginta Theologis* g *vt à veritate Catholica minimè diſſentiens approbata eſt) qui diſertis verbis affirmat,* Reges, ſi deliquerint, à ſolo Deo pœnis temporalibus caſtigari poſſe; *ex qua doctrina ſi aliqui forſan Principes anſam peccandi ſumant, illud non Doctorum vitio, ſed humanæ Principum infir-*

g Vide infra nu. 190. in margine.

infirmitati ascribendum est. Denique, innocentes defendere, veritatem quasi per vim oppressam tueri, virósque Catholicos pios, & eruditos, qui suam innocentiam, cum in viuis non sint, propugnare non valent, à pessimo hæreseôs *crimine vindicare, tametsi inde in eorum aggressores aliqua suæ famæ iactura forsitan resultet, nullam iustam offensionis occasionem præbet.*

24 *Quod ad titulum attinet, quem ego, vt liber ipse & auidiùs perquireretur, & attentiùs perlegeretur, eo modo inscripsi, cum fini, scopo, & materiæ ipsius libri consentiens sit, non magis, quàm liber ipse displicere potest. Si Illustrissimum Bellarminum in aliquo offenderim, doleo sanè plurimùm; non enim nocendi animo, sed veritatem inuestigandi, atque viros innocentes à lethali noxa vindicandi gratia, quidquam*

ex instituto me conscripsisse Deum attestor. Et quantũuis tã Card. Bellarminus quàm plures alij Theologi remp. Christianam suis cõmentarijs mirificè illustrauerint, quo nomine maximæ illis gratiæ à Catholicis omnibus agendæ sunt, non tamen existimo, vllum omnino Doctorem Catholicum quantacunq; doctrina, aut dignitate præpolleat, reperiri, qui tantam proprio suo iudicio certitudinẽ arrogat, vt, cum homo sit, & humanæ ignorantiæ subiectus, singulis suis opinionibus ab omnibus absq; vlteriori examine indubitatam fidem adhibendam esse velit, quin potiùs maximè scandalosum, & non parui erroris occasio illis esset, qui fidem suam, quæ ad æternam salutem consequendam necessaria est, super nudã cuiuscunq; Doctoris asseuerationem, tanquam firmissimum, atque immobile fundamentum absq; maiori disquitione construeret. 25 Ne-

25 *Neque de illis rebus*, de quibus Scholastici certãt, & adhuc sub Iudice lis est, *probabiliter disceptare, vllum aut Catholicis, aut non Catholicis scandalum esse potest; quinimò* probabiles *Doctorum opiniones vt* hæreticas *condemnare nimis scandalosum est, & charitati Christianæ, cui scandalum ex diametro opponitur, valde aduersarium.* Nobis quidẽm, *inquit Canus,* * Schola nostra magnam licentiam dat, vt quodcunque maximè probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere, sed non licet tamen eos, qui nobis sunt aduersi, temerè, ac leuiter condemnare. *Atque hæc ad meam Apologiam à scandali suspicione expurgandam dicta sufficiant; nolo enim in præsenti meritam scandali reprehensionem in aliorum libros retorquens eadem mensura, qua*

* Lib. 8. de locis, cap. 4.

me mensi fuerint, & illis remetiri.

26 Demum, vt à postremis, sed omnium grauissimis hæreseôs, atque erroris criminibus me immunem reddam, notum est, & apud Theologos peruulgatum, errorem ab hæresi ita distingui, quòd hæresis fidei diuinæ, cuius certitudo ex principijs diuinitus reuelatis ex toto dependet, aduersetur, error vero conclusioni Theologicæ, cuius veritas partim diuinæ reuelationi, partim lumini naturali innititur, repugnans sit; In hoc tamen omnes pariter conueniunt, quòd sicut tam conclusio Theologica, quàm fides supernaturalis sint certæ, & manifestæ veritatis, ita tam error, quàm hæresis apertam, & indubitatam falsitatem contineant; quo fit, vt si doctrina hæc de Principibus auctoritate Papali non abdicandis manifestæ falsitatis conuinci nequeat, neque

neque hæresi, neque errore, iure notari queat.

27 Quanta igitur certitudo circa hanc summi Pontificis Principes deponendi potestatem ex Concilijs concludi queat, expendamus. Concilia omnia tam prouincialia, quàm generalia à summo Pontifice confirmata debita veneratione prosequor, non tamen vtrisque æqualem honorem deferendum esse censeo. Concilia enim generalia in suis definitionibus, Spiritu sancto illis assistente, errare non posse Catholici omnes profitentur; at prouincialia tam in decretis fidei, quàm morum errori obnoxia esse grauissimi Theologi constanter asseuerant. Et tametsi viri quidam doctissimi affirment, sententiam hanc de superioritate Concilij supra Pontificem, & de fallibili Pontificis iudicio, si absque Synodo generali definiat, malè

audire apud Catholicos, ita vt passim censeatur erronea, & hæresi proxima, atque ab Ecclesia solummodò toleretur, *meo quidem iudicio verbis nimiùm æquiuocis efferuntur, neque quid sibi velint, satis perspicuè declarant. Etenim hanc sententiam tum* male *apud Catholicos, nimirum Romanos, tum* bene *apud Parisienses, aliosque Catholicos audire, neque* passim, *id est,* vbique, *& apud omnes erroneam, aut hæresi proximam reputari nimis manifestum est.*

28 *Siquidem Nauarrus nostri temporis scriptor, idemque* Theologus insignis, & Iuris Canonici scientissimus,[h] *apertissimè docet de hac re inter Romanos, & Parisienses adhuc probabiliter disceptari, neque ipse magis in vnam, quàm in alteram partem inclinat. Est, inquit,* [*i] *maxima discordia* Romanorum,

h Posseuinus in Apparatu verbo Martinus Azpilcueta.

*i In cap. Nouit de Iudicijs notab. 3. nu. 84.

manorum,& Parisiensium,cui principaliùs potestas Ecclesiastica fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro. Illi enim tenent, Petro & successoribus daram esse hanc potestatem, atque ideo Papam Concilio esse superiorem; ij verò, quibus Gerson adhæret,totam datam esse toti Ecclesiæ licet exercendam per vnum; atque ideo in aliquot saltem casibus Concilium esse supra Papam. Quarum illa scilicet Romanorum videtur placuisse S.Thomæ, Thomæ à Vio,vbi altiùs omnibus, & profundiùs hoc demonstrare conatur. Altera verò placuit Panormitano, qui pro Parisiensibus est, quem frequentiùs nostri sequūtur, vt tradit Decius. Quā mordicùs tuetur Iacob. Almaynus è Sorbona Theologus, qui respon-

dit

dit Thomæ à Vio libello iusto, & Ioannes Maior, qui idem facit, aiens Romæ nemini permitti tenere Parisiensium, & Panormitani sententiam, nec rursus Academiam illam Parisiensem pati, vt contraria opinio asseratur in ea.

29 *Et quamuis Additionator,*[k] *vt ita loquar, Nauarri ipsum ancipitem animi, & plurimùm dubitantem de hac quæstione,* An Papa sit supra Concilium, *in sententiam Romanorum pertrahere studeat, calamo tamen, & atramento magis temperato scribit, & Parisiensium sententiam vt* probabilem *relinquit, tametsi Romanorum opinionem* probabiliorem esse *statuat. Sed multo quidem clariùs, & modestiùs doctissimus Victoria,* de comparatione, *inquit,*[l] potestatis Papæ est duplex sententia, altera est S. Thomæ,

k Ita enim eum appellat Zanches in suis disputationibus de Matrimonio, sæpissimè.

l Relect 4 de potest. Papæ & Conc. propositione 3.

&

& ſequacium multorum, & aliorum Doctorum tam in Theologia, quàm in Iure Canonico, quòd Papa eſt ſupra Concilium; altera eſt communis ſententia Pariſienſium, & multorum etiam Doctorum in Theologia, & Canonibus, vt Panormitani, & aliorum contraria, quòd Concilium eſt ſupra Papam: non tamen eſt locus nunc diſputandi quæ illarum ſit verior, quia non de hoc agitur. Puto vtramque eſſe probabilem opinionem, & quia quælibet habet magnos aſſertores, non oportet in quæſtione propoſita procedere ſolùm ex altera opinione, ſed ſtatuere quid dicendum, quamcunque ſententiam ſequamur.

30 *Vellem igitur, vt rigidi iſti Cenſores claris, atque apertis verbis*

ſen-

ſententiam ſuam proferant, neque artificioſo ſermonis inuolucro Lectorum animos ancipites teneant, ſed mentem ſuam candidè, & perſpicuè manifeſtam reddant, atque ingenuè reſpondeant, num qui opinionem Pariſienſium vt probabilem defendunt, ita ab Eccleſia *tolerentur, ſicut meretrices, fœneratores, & eiuſmodi publicè delinquentes nonnunquam ad maiora fugienda ſcandala in republica permittuntur, qui tametſi pœnis legum ordinarijs ſæpenumero non plectantur, à ſacramentorum tamen participatione, quamdiu in ſuis vitijs perſiſtunt, omnino excluduntur; vel vtrum qui Pariſienſium opinioni adhærere ſtatuunt, abſolutionis ſacramentalis beneficio gaudere queant? Si enim poſtremum iſtud concedant, fateri compellentur, opinionem Pariſienſium non ſolùm ab Eccleſia tolerari, verùm*

etiam

etiam vt probabilem, & quæ absq; vllo hęreseôs, erroris, aut peccati læthalis periculo defendi posśit, ab Ecclesia approbari.

31 Quòd verò ad sacramenta Ecclesiastica eiusmodi Doctores admittantur, totius Ecclesiæ Gallicanæ praxis (quã vt temerariam, aut scandalosam absque graui temeritatis, & scandali noxa nemo condemnare potest) nimis manifestum perhibet testimonium. Itaque charitati Christianæ multo magis, mea quidem sententia, consentaneum esse videtur, vt viri Catholici aliàs pij, & eruditi ab errore, & hæresi, quantum fieri potest, excusentur; atque synceritati Euangelicæ magis consentiens est, vt, quid in rebus quæ ad fidem pertinent, à quouis Christiano fide Catholica credendum sit, Doctores Theologi clarè, & perspicuè abs-

absque tot verborum integumentis fidelibus proponant, neque opiniones incertas, quæq; absque fidei præiudicio defendi possunt, pro indubitatis fidei dogmatibus fideli populo tam facilè obtrudant. Atque hinc constat, nullius Concilij Prouincialis etiam à summo Pontifice approbati auctoritatem, si solitariè sumatur, posse Catholicis sufficiens præbere argumentum, vt eius definitionibus tam indubia fides adhibenda sit, quin illis absque vlla hæreseôs *aut* erroris *nota contradici queat.*

32 *Neque magni momenti est quod obijciunt aduersarij:* Si summus Pontifex extra Concilium generale definiens non facit rem omnino certam, sed errare possit, nihil certi de innumeris dogmatibus tribus primis seculis haberi potuisset, in quibus plurimæ hæreses à summo Pontifice

tifice profligatæ sunt, vt patet in erroribus Priscillianistarum, Vigilantij, Iouiniani, Manichæorum, & aliorum complurium. *Non enim iuxta Parisiensium opinionem, præfatæ Priscillianistarum, cæterorumque opiniones primis illis seculis vt hæreticæ ex eo præcisè habendæ sunt, quòd à summo Pontifice, aut Concilijs tantùm Prouincialibus condemnatæ fuerint, sed quoniam eiusmodi condemnationem tota Ecclesia receperit, atque approbauerit, quod in præsenti (vt breuitati, quantum possum, consulam) viris eruditis insinuasse satis sit, illud fusiùs, si opus fuerit, alibi ostensurus.*

33 *Iam, quid certi ex Concilijs pro auctoritate Papali Principes deponendi colligi possit, paucis examinemus. Sex Concilia Prouincialia, & tria Generalia Card. Bellarminus pro hac sua opinione con-*

confirmanda adducit. Et tametsi Concilia Prouincialia iuxta probabilem multorum opinionem, vt iam vidimus, rem de fide certam facere non valeant, & propterea nullum efficax argumentum ex illis peti possit ad doctrinam aliquam aut hæreseôs, *aut* erroris *condemnandam; vt tamen veritas magis eluceſcat, demus disputationis gratia, ea in ſuis definitionibus errare non poſſe, & videamus, quàm ſolidè Card. Bellarminus ſuam ſententiam* tanquam de fide certam *ex illis confirmet.*

34 *Primum Concilium, quod à Card. Bellarmino producitur, est Romanum ſub Gregorio ſeptimo, anno Domini* 1080. *celebratum,* in quo Gregorius, *vt ait Bellarminus,* [m] omnibus conſentientibus, & laudantibus publicè, & ſolenni ritu, ac ceremonia Henricum quartum Imperatorem excom-

m Pag. 29.

excõmunicauit,& imperio,regnoq; priuauit. *Legi equidem Gregorium septimũ in Synodo Romana Henricum deposuisse, seu potius* in fine [n] synodalis absolutionis Henrici depositionem annexuisse; *sed quòd à Synodo, aut quod Patribus omnibus consentientibus, & laudantibus depositus fuerit, nondum legi. In reliquis quinque Concilijs, Beneuentano sub Victore, Placentino sub Vrbano, Romano sub Paschali, Colonienſi sub Gelasio, & Rhemensi sub Calliſto, ne verbum quidem de Henrici depositione, nisi depositionem cum excommunicatione confundamus, reperio. Et tametsi Imperator non solum in sex Concilijs memoratis, verùm etiam à sex illis Concilijs Imperio priuatus fuerit, hinc tamen nihil de fide certum deduci potest, cum depositio illa Henrici non res fidei, sed facti*

[n] Bertholdus in anno 1080. Ettom. 3. Concil. part. 2

duntaxat esset, in quo tam Pontifices, quàm Patres illi proprias sequuti opiniones errare poterant, vt paulo inferiùs * *in simili ad Lateranense Concilium responsione fusiùs explicabo.*

Nu. 50.

35 *Tria Concilia generalia à Card. Bellarmino proferuntur; Claromontanum, Lateranense, & Lugdunense. Ad Lugdunense satis in mea Apologia respondi, non posse nimirum sufficienter comprobari, depositionem illam Frederici à Synodo, sed solùm à Pontifice in Synodo, neque Concilio approbante, sed præsente tantùm factam esse.*

36 *Ex Concilio Claramontano ita arguit Card. Bellarminus.* Summus Pontifex, Vrbanus secundus, in Concilio frequentissimo Claromontano Philippum primum Francorum Regem, ob repudiatam legitimam vxorem, & adulteram in

in matrimonium acceptam, & admonitum obedire recusantem, excommunicauit, & corona Regni priuauit; vt testis est Sigebertus in Chronico anni 1095. & clariùs idem refert Matthæus Paris in VVillielmo secundo ad annum 1095.

37 *Verùm neque ex hoc Concilio quidquam certi pro potestate Papali Principes deponendi concludi potest. Nam esto, quòd Vrbanus, vt Sigebertus, & Matthæus Paris asserunt, Philippum ob dictam causam in Concilio Claromontano excommunicauerit, seu, vt ait Papyrius Massonius templi aditu, & sacrificio interdixerit (tametsi Andreas vetus historicus, vt refert Paulus Æmilius, b scribit id ante Concilium Claromontanū, & Aimonius insinuet, illud post Concilium factum esse)*

a Lib. 3. in Philippo primo.

b Lib. 38. in Philippo etiam primo.

c De gestis Francorum lib. 5. partim c. 48. in principio partim 49. in principio.

esse) quo tamen argumento efficac
ostendi poterit, Philippum in eo Conci-
lio ab Vrbano Regni corona priuatum
esse?

38 Sed quòd cum excõmuni-
catione, *ait Card. Bellarminus*, intel-
ligeretur priuatio Regiæ dignitatis
intelligi potest ex Iuone Carno-
tensi, qui in epist. 28. ad Vrbanum
secundum Papam, sic loquitur:
Qui ad vos venturi sunt in callidi-
tate ingenioli sui, & venustate lin-
guæ impunitatem flagitij se impe-
traturos Regi à Sede Apostolica
promiserunt, hac ratione ex parte
vsuri, Regem cũ Regno ab obedi-
entia vestra discessurum, nisi coro-
nam restituatis, eumque ab anathe-
mate absoluatis. Intelligi potest
etiam ex historicis, qui testantur
vetitum fuisse ab Vrbano Pontifice

no

ne diadema Regium Philippo excommunicato imponeretur. Vide Chronicon Ioan. Naucleri, generat. 37. Paulum Æmilium lib. 3. in Rege 38. Papyrium Maſſonium Annal. lib. 3. Adde etiam quod ſcribitur in Summario, ſiue Compendio hiſtoriarum Francicarum Nicolai Vignerij toto tempore, quo Philippus ſub anathemate vixit, in publicis ſcripturis non fuiſſe poſitũ de more, regnante Philippo, ſed regnante Chriſto, quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege populus non habebat.

39 *Veruntamen, quomodo hinc Card. Bellarminus efficaciter deducat, Philippum vel à Concilio, vel in Concilo fuiſſe Regno priuatum, ego ſatis perſpicere non valeo. Nam in primis dato, ſed non conceſſo, Philippum*

ab Vrbano corona Regia priuatum fuisse, non tamen proinde certò concluditur, priuationis sententiam in Concilio Claromontano latam esse, cum in decretis Concilij nulla illius sententiæ mentio habeatur, & vel antea, vel postea particulari aliquo decreto eam Pontifex fulminare potuisset.

40 *Deinde, præterquàm quòd omnes ferme Franciæ Episcopi sese Iuoni opposuêre, verba illa,* Nisi coronam restituatis, *satis commodè exponi possunt, nempe, vt* coronam restituatis, *quam aliqui forsan ex populo, præsertim rudiori, per solam excommunicationis sententiam, vel omnino sublatam, vel magna ex parte diminutam esse arbitrabantur; nam* Regem excommunicatum, *ait Bellarminus,* pro Rege populus non habebat. *Præterea excommunicatio Regis non exiguam po-*

pulo

pulo ad rebelliones præcipiti ansam præbere poterat, vt Regnum aduersus Regem aliqua ratione commoueretur. Atque hunc sensum verba Iuonis habere posse satis insinuat Iuretus in suis obseruationibus ad Iuonis epistolas, ° Probabile est etiam, *inquit*, excommunicato Principe nonnullos è subditis recusasse honorem, ac obedientiam, alios coluisse, & obtemperasse, & sic componi potest opinionum diuersitas. *Et propterea non mirum si in publicis scripturis* Ecclesiasticis* *non fuerat de more positũ* regnante Philippo, *ne Ecclesiastici ea ratione cum Rege excommunicato participare viderentur*, sed regnante Christo, *quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege, omni sclicet ex parte absoluto, & cum quo in quibuscunque negotijs sicut priùs communicare*

° In prædicta Iuonis verba.

*Auctor Chronici S. Dionysij apud Iuret. loco proximè citato.

liceret, populus non habebat.

41 *Quòd autem ipſemet Iuo, & populi pars maior in ea ſententia fuerint, non fuiſſe Philippum per excõmunicationem, aut aliunde regnandi iure priuatum, conſtat, tum quia populus libenter Regi parebant, tum ipſemet Iuo literis ad Regem licet excommunicatum miſſis* [p] *vocat eum* pijſſimum & magnificum Francorum Regem, ſuumque Dominum, & ſe humilem Sublimitatis ſuæ clericum: *& aliam epiſtolam* [q] *anno Domini* 1095. *vt teſtatur Baronius, eoque tempore, quo Philippus excommunicatus erat, conſcriptam ita inſcribit:* Philippo Dei gratia Sereniſſimo Regi Francorum Iuo humilis Presbyter ſuus ſalutem, & ſicut Domino, & Regi ſuo fidele ſeruitium; *à quibus profectò Titulis prorſus abſtinuiſſet Iuo*

p Epiſt. 22. 28

q Epiſt. 56.

Iuo, ſi Philippum Regio honore, ac dignitate ab Vrbano priuatum eſſe exiſtimaſſet.

42 *Quòd verò iuſſu Vrbani Pontificis, ſeu potius ſui duntaxat Legati, prohibitum erat Franciæ Epiſcopis, ne diadema Regium Regis, Reginæque capitibus imponerent, non probat Regem regnandi iure priuatum fuiſſe, ſed hæc coronæ impoſitio ad ſolennitatem nuptiarum, & ad ceremoniam quandam Religioſam in die, quo Nuptiæ Regis ſolenniter celebrabantur, & plærumque inter Sacra adhiberi ſolitam pertinebat, quæque, cum præſertim matrimonium Philippi cum Bertrada contractum confirmare videretur, iure optimo ab Vrbano, eiusve Legato interdici poterat.*

43 *Nunc*

43 *Nunc reſtat, vt ad Concilium Lateranenſe, in quo potißimùm ſententiam hanc de Principibus auctoritate Papali abdicandis fundatam eſſe aduerſarij opinantur, ſolidè reſpõdeamus. Inprimis igitur exiſtimo, nomine* Domini principalis, *ſeu* Dominũ principalẽ non habentis *Imperatores, Reges, Principeſq; ſupremos minimè cõprehendi. Idque hinc colligo, quòd Fredericus Imperator, cuius Legati eidem Concilio Lateranenſi intererant, quinto poſt Concilium celebratum elapſo anno, eandem Conſtitutionem totidem planè verbis, mutatis tantùm pœnis ſpiritualibus in temporales, ediderit; atqui veriſimile non eſt, Imperatorem ſuo Edicto ſeipſum, qui* legibus ſolutus eſt,* *& multo minùs alios Reges ſibi non ſubiectos comprehendere voluiſſe.*

* §. De leg. Princeps.

44 *Deinde, in legibus pœnalibus*

Prin-

Principes Seculares generalibus Dominorum, Magiſtratuum, & Iudicum temporalium nominibus iuxta regulas Iuriſprudentium nequaquam ſignificantur, ſicut neque Abbas nomine monachi, neque Epiſcopus nomine Sacerdotis, neque ſummus Pontifex nomine Epiſcopi, quod ad pœnas attinet, intelligi ſolent, cum iuxta regulas Iuris in ſexto, in pœnis benignior pars eligenda ſit, & odia reſtringi, fauores ampliari conueniat. *Quod ſi Concilium ſuo illo decreto Principes Seculares comprehendere voluiſſet, æquè facilè potuiſſet Principes Seculares proprijs* Principum *nominibus, atque generalibus* Dominorum principalium, *aut* Dominos principales non habentium *nuncupare, cum præſertim idem Concilium in alijs decretis peculiaria* Principum *nomina vſurpauerit.*

45 *At inquiunt primò*, si Synodus Lateranensis Imperatores, Reges, Principesque supremos suo decreto complexa non fuerit, quinam igitur sunt illi, quos ipsa dominorum principalium, aut Dominos principales non habentium nominibus appellat? *Et ego itidem ab illis quæro, quinam sint illi, qui in Imperatoris edicto Domini principales, seu Dominos temporales non habentes iure nuncupari possint. Eadem etenim responsio, modò solida sit, quam meo quæsito adhibebunt, illorum obiectioni plenissimè satisfaciet. Existimo tamen per Dominos principales tam à Concilio, quàm ab Imperatore, non intelligi Imperatores, Reges, & Principes Superiorem in temporalibus recognoscentes, sed eos tantùm, qui terras aliquas, prouincias,*

cias, aut forsan etiam regna à supremis Principibus in feudum regale vel quasi regale acceperunt, ratione cuius feudi talium Principum Vasalli constituuntur, tametsi etiam ipsi alios Vasallos, quorum Domini sunt, respectu eiusdem feudi sub sese habeant, & quo magis, vel minus à Supremorum Principum iurisdictione exempti sunt, eo magis, vel minus principales Domini dici possunt. Sed hæc breuiter attigisse in præsenti satis sit.

46 *Obijciunt secundò*, esto, Reges, & Principes supremi in illo Concilij decreto per se, & primariò non includantur, secundariò tamen & ex consequenti eos comprehendi, aut saltem comprehendi potuisse manifestum esse videtur. Nã si Pontifex potestatem habeat aliorum

rum Principum ſubditos dominijs temporalibus abſque ſuorum Principum conſenſu ob crimen hæreſeôs ſpoliandi, non videtur ſufficiens ratio aſſignari poſſe, quare etiã ipſoſmet Principes ſupremos, ſi eadem cauſa occurrat, dominijs ſuis priuare non poterit.

47 *Ad hanc obiectionem varias reſponſiones in mea Apologia breuiter indicaui, quas hîc ad verbum referre*
a Nu. 474. *neceſſarium eſſe duco. Prima erat,*[a] *tam Pontifices, quàm Concilia ſæpe multa ſtatuere, quorum ordinatio potius ad poteſtatem politicam, quàm ad Eccleſiaſticam ſpectat, ex expreſſo, vel tacito Principum conſenſu, qui per ſeipſos, aut per ſuos Legatos præſentes adſunt, vel ex præſumpta, aut ſaltem ſperata Principum ratihabitione.* Et hoc dicunt expoſitores Iuris Canonici, *ait Ioan.*

Pari-

Parisiensis. Quærit enim Hostiensis, *Extra de hæreticis, cap. Ad abolendam*, vbi mandat Dominus Papa hæreticorum confiscari bona, Quid ad Papam de temporalibus? Et respondet cum Domino suo Innocentio, quòd reuera nihil ad eum, sed hoc fecit de assensu Imperatoris, qui tunc Paduæ præsens consensit.

48 *Altera responsio his verbis continetur.* * Aliam expositionem adhibet Glossa *in cap. Hadrianus dist. 63.* vbi Papa præcipit eorum confiscari bona, qui eius decretum violant. & in *cap. Delatori 5. q. 6.* vbi statuit, Delatoribus linguam capulandam, aut conuictis caput amputandũ esse. Respondet enim Glossa, hîc docere Ecclesiam, quid facere debeat Iudex Secularis. Quæ eius

* Ibid.

eius reſponſio ad ſimilia decreta, in quibus ſacri Canones pœnas temporales infligunt, accommodari poteſt. *Huic etiam reſponſioni fauent verba Syluestri,* [r] *qui ſic ait:* Sentit Ioannes Andreas poſt Hoſtienſem, quòd Epiſcopus non poſſit imponere pœnam pecuniariam Laico ſibi temporaliter non ſubiecto, ſed eam debet facere infligi per Iudicem ſecularem.

r In ſum. ver. pœna, nu. 9.

49 *His adde, quotieſcunque ſummus Pontifex generali Conſtitutione aliquid temporale ſtatuit, quod iuri alterius ſibi in temporalibus non ſubiecti præiudicat, ad ſola Romanæ Eccleſiæ territoria, ſeu B. Petri patrimonium,* in quo, *vt ait Papa* [ſ] *Innocentius*, & ſummi Pontificis auctoritatem exercet, & ſummi Pontificis exequitur poteſtatem, *conſtitutionem illam extendi,*

ſ Cap. Per venerabilem.

tendi, nisi contrarium exprimatur, quidam nō improbabiliter existimant. Quibus fauere videtur Glossa in dict. iuc. per venerabilem, *vbi affirmat, quòd* Dominus Papa nō possit legitimare aliquem, quantum ad hoc, vt succedat in hæreditate tanquā legitimus hęres, qui non sit de sua Iurisdictione temporali, sic enim esset mittere falcem in messem alienam, & vsurpare alienam Iurisdictionem, & priuare aliquem iure succedendi, quod non debet, *& propterea* quoad forum seculare non potest legitimare, nisi Princeps ei permiserit. *Si autem Pontifex nequeat ex non legitimo facere legitimum, aut priuare aliquem iure succedendi, non video quonā iure ex hærede, & Principe legitimo illegitimum efficere, aut aliquē hæreditate, quā legitimè possidet, priuare queat.*

* Nu. 451. 50 *Tertia Responsio est, decretum illud Concilij Lateranensis non esse rem fidei, sed facti duntaxat, in quo tam Papa, quàm Patres illi proprias sequuti opiniones errare poterant, neq; Concilium determinasse, talem depositionem futuram vel à potestate indubiè legitima processisse, vel à sola Ecclesiastica absque Principum consensu auctoritate dimanasse. Et propterea non affert illorum Patrum opinio maiorem certitudinem pro auctoritate Papali Principes deponendi, quàm si extra Concilium sententiam suam declarassent; cum hoc solum ex certa Ecclesiæ Catholicæ doctrina colligi possit, infallibilem sancti Spiritus assistentiam non factis, & probabilibus Pontificum, aut Conciliorum opinionibus, sed definitionibus duntaxat à Christo Domino promissam esse.*

51 *Mitto nunc verba illa, vt ex*

tunc

tunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, *non nullam difficultatem continere, quæ, si in illis vim facere velimus, solùm significare videntur, proprium esse Pontificis subditos à fidelitate non verè absoluere, sed absolutos tantùm declarare.*

52 *Sed contra hanc tertiam responsionem plurimùm instant aduersarij:* Illa, *inquiunt*, doctrina ad fidem pertinet, quam summi Pontifices, Concilia, & doctores tanquam certum fundamentum suarum constitutionum, & sententiarum vel proponunt, vel supponunt; atqui hæc doctrina de potestate Papali Principes deponendi, & subditos ab eorum fidelitate absoluendi proponitur, vel supponitur à Pontificibus, Concilijs, & Doctoribus tanquam fundamentum multorum Cano-

num, & ſententiarum iudicialium, ergo doctrina hæc ad fidem pertinet.

53 *Deindè*, ſi Concilium generale expreſſè definiret, Eccleſiam habere hanc poteſtatem, nemo Catholicus dubitare poteſt, quin ea res ad fidem pertineret, atqui cum ſupponit illud tanquam certum fundamentum ſuarum conſtitutionum, & ſententiarum, non minùs illud cenſetur aſſerere, ergo non minùs certum cenſeri debet,

54 *Denique* de fide eſt, Eccleſiam non poſſe errare in doctrina, & præceptis morũ, docendo generatim aliquid eſſe licitum, quod eſt iniquum, aut iniquum, quod licitum, aut etiam aliquid per ſe iniquum præcipiendo. Talis enim error non minùs pernicioſus eſt fidelibus,

libus, quàm error in fide: atqui si summus Pontifex non haberet illam potestatē Principes tēporales suis dominijs priuandi, Ecclesia erraret in doctrina morum, & quidem circa res grauissimas. Docet enim, Principe per sententiam summi Pontificis abdicato, omnes subditos ab eius obedientia esse solutos, & ditionem eius ab alio posse occupari, vt ex Concilijs constat. Item, Principe publicè excommunicato, subditos à Iuramento fidelitatis esse absolutos, ita vt non teneantur ei parere donec reconcilietur, immo prohibet, ne illi pareant, si censura est denunciata. Quæ omnia falsa erunt, neque solùm falsa, sed etiam perniciosa, quia per ea subditi ad rebelliones, & periuria incitabuntur, & vel inuiti, & reluc 3 ctantes

ctantes compellentur. Errat ergo Ecclesia in doctrina morum, & præcipit rebelliones, & periuria, & Censuris suis ad illa adigit: atqui hoc asserere est hæreticum, ergo & illud vnde sequitur, nimirum Ecclesiam non habere potestatem subditos à vinculo Iuramenti, & ab obedientia liberandi.

§§ *Hæ sunt præcipuæ obiectiones aduersus tertiam illam responsionem, in quibus doctissimi nostri aduersarij non mediocriter gloriantur, existimantes illis euidentissimè demonstrari, esse vsque adeo certum, potestatem Principes deponendi summo Pontifici ex Christi institutione competere, vt contrarium absque* hæreseos, *aut saltem* manifesti erroris *nota defendi non possit. Sed caueant isti Doctores alioquin sanè doctissimi, ne peculiares, & inconcussas suas*

collecti-

collectiones, pro vniuersalibus, ac indubitatis Catholicæ fidei conclusionibus imperito populo diuulgare præsumant; neque enim hæc argumenta tam solida esse, vt isti imaginantur, facillimè ex Ecclesiæ praxi, & summorum Pontificum decretis commonstrari potest.

56 Atque inprimis, an non debita Sacramentorum administratio res magni momenti est, atque ad summi Pontificis officium maximè spectans, erroríq; circa eam perniciosissimus censendus est? Atqui summus Pontifex Sacerdoti simplici licentiam sæpe impertitus est, [1] sacramentum Chrismatis administrandi, cum tamen inter Theologos magna controuersia existat, an ex concessione summi Pontificis administratio huius sacramenti Sacerdoti simplici committi possit. Cum igitur Sacramenta nouæ legis, vt docet Concilium

[1] Vt constat ex S. Grego. *l. 3. epist. 26.* & habetur in cap. *peruenit* dist. 95. & plurimi Abbates hodierna die hanc facultatem habent.

lium Florentinum, * tribus perficiantur, materia, forma, & ministro, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum; *& materiam, ac formâ debitam sacramenti à ministro indebito serio applicari maximum sit sacrilegium, si summus Pontifex, in quo solo secundum istos Theologos tota potestas Ecclesiastica, & auctoritas res fidei certò definiendi principaliter residet, potestatem hoc sacramentu cõficiendi simplici Presbytero concedere nequeat, vt doctissimi Theologi* [u] *absq; vlla* hæreseôs, *aut erotis nota opinãtur, an non grauissimus error est, tales licentias concedere, vnde periculum est, ne grauissima sacrilegia, vt puta, inualidæ sacramentorum administrationes, perpetrentur?*

* In fine in decreto Eugenij Papæ.

u Adrian. Papa *in 4. in materia de Confirm. ar. 3.* Durand. *dist. 7. q. 3. & 4.* Bonauen. *ib.* Alphonsus de Castro *lib. de hæresibus, verbo Confirmatio.* Petrus Soto *lect. 2. de Confirmat. & alij.*

57 *Præterea Sixtus quartus in honorem immaculatæ conceptionis B. Virginis Mariæ Constitutionem* [x] *edidit*

x Habetur tom. 4. Concilior. post vitam Sixti 4.

de

de festo Conceptionis eius celebrando, vt vniuersi Christi fideles de ipsius immaculatæ Virginis mira conceptione, *quam etiam* immaculatam *appellat, gratias, & laudes referant; & nihilominus incertum est, & apud Theologos absque vlla* hæreseôs, erroris, *aut* peccati mortalis *macula hinc inde disputatum, vtrum B. Virgo in sua conceptione peccatũ originale contraxerit, vel peculiari Dei prouidẽtia ab eo præseruata fuerit. An non igitur hinc constat, doctrinam illam, quæ à summo Pontifice tanquam fundamentum constitutionis, & decreti Apostolici, etiã ad religiosum Dei cultũ pertinẽtis, vel proponitur, vel supponitur, nõ esse tã certæ, atq; indubitatæ veritatis, vt absq; graui peccati periculo oppugnari nequeat?*

58 *Demum summi Pontifices sæpissimè dispensauerunt cum Principibus,*

qui

qui in religionibus approbatis ſolemne caſtitatis votum emiſerunt, vt matrimonium contraherent, [y] *ſicut de Conſtantia Rogerij Siciliæ Regis filia, de Caſimiro Poloniæ, & Ramiro Aragoniæ Regibus, de Nicolao Iuſtiniano nobili Veneto, aliſque pluribus hiſtoriæ produnt: atqui ſi ſummus Pontifex in voto ſolenni caſtitatis diſpenſandi auctoritatem non haberet, de quo inter Doctores* [z] *contrauertitur, eiuſmodi profectò diſpenſationes plurimorum ſcelerum cauſæ eſſent, & in grauem aliorum Principũ iniuriam cederent, qui ſuo iure regnandi, atq; in hæreditate ſuccedendi per illas diſpẽſationes iniuſtè ſpoliarẽtur.*

y Vide Azorium tom.1.l. 12.c.7.q.1.

z Negant S. Tho.2.2.q.88 ar.11.& omnes fere Thomiſtæ,& plures alij, quos refert Zanches lib. 8.de matrimonio diſp. 8.qui etiã ait hanc ſententiam eſſe probabilem.

59 *An non igitur iuxta aduerſariorum principia ita liceret argumentari?* Summi Pontifices doctrinam hanc, quòd B. Virgo in peccato originali concepta nõ fuerit, quòd

Pa-

Papa in ſolenni caſtitatis voto diſpenſare, & ſimplici Sacerdoti, vt ſacramentum Confirmationis adminiſtret, licentiam dare queat, ſupponit tanquam fundamentum multorum decretorum, diſpenſationum, atque ſententiarum iudicialium: atqui oportet eam doctrinam, quæ eſt fundamentum tantarum rerum, eſſe certiſſimam;

60 *Deinde*, ſi ſummus Pontifex expreſſè definiret, Eccleſiam habere talem poteſtatem, nemo Catholicus (*ex iis præſertim, qui Papam abſq; Concilio generali definientem non poſſe errare defendunt*) dubitaret, quin ea res ad fidem pertineret: atqui, cum ſupponit illud tanquam certum fundamentum ſuarū Conſtitutionū & ſententiarū, non minus illud cenſeturaſſerere, quàm ſi expreſſè

presſè definiret, ergo non minùs certum censeri debet.

61 *Præterea*, de fide est, *vt aduersarij nostri ſupponunt*, ſummũ Põtificem non posse errare in doctrina, & præceptis morum, docendo generatim aliquid esse licitum quod est iniquum, aut iniquum, quod licitum, aut etiam aliquid per se iniquum præcipiendo, talis enim error non minùs perniciosus est fidelibus, quàm error in fide; atqui, si ſummus Pontifex non haberet potestatem in solenni religionis voto dispensandi, aut non posset simplici Presbytero facultatem tribuere, vt vnctione Chrismatis baptizatos confirmet, errare posset in doctrina, & præceptis morum, & quidem circa res grauissimas. Docet enim sacramentum

cramentum Confirmationis à ſimplici Presbytero confectum verum ſacramentum eſſe. Item, Principe Monialem profeſſam ex diſpenſatione Pontificis in vxorem accipiente, matrimonium illud eſſe ratum, & validum, & liberos ex illis naſcituros legitimos eſſe, atque in Regno ſuccedere oportere. Et non obſtante, quod proximi Regis conſanguinei ius in regnum ob defectum hęredis legitimi ſibi vendicarent, poſſet proculdubio ſummus Pontifex, iuxta aduerſariorum doctrinam, ſubditis præcipere, atque Cenſuris conſtringere, vt prolem ex tali matrimonio, vtpote legitimo, ſuſceptam pro vero, indubitato & legitimo ſuo Principe agnoſcant; quæ omnia falſa erunt, neq; ſolùm falſa, ſed etiam pernicioſa, quia per ea ſubditi ad iniurias inferendas inci-

incitabuntur, & vel inuiti, & reluctantes compellentur, & Principes inceſtus, & ſacrilegia perpetrandi liberam à ſummo Pontifice licentiam obtinebunt. Errat ergo Eccleſia in doctrina morum, & conſulit ſacrilegia, atque præcipit iniuſtitiam, & Cenſuris ſuis ad illam adigit; atqui hoc aſſerere eſt hæreticum, ergo illud vnde ſequitur, nimirum ſummum Pontificem non habere poteſtatem in ſolenni religionis voto diſpenſandi & ſimplici Sacerdoti, vt ſacramentum Confirmationis conficiat, facultatem impartiendi: *& nihilominus neutrum horum aſſerere aut hæreticum, aut erroneum à Theologis iudicatur. Expediant igitur aduerſarij has difficultates, & ego quoque nodos illos, quos putant indiſſolubiles, ex ipſorum ſolutionibus ſub-*

ſubinde diſſoluam.

62 *Denique, an non rationes, quibus Concilia ad aliquid definiendum inducuntur, ſunt veluti baſes quædam, quæ ab ipſis tanquam ſuarum definitiorum, atque decretorum fundamenta aut proponuntur, aut ſupponuntur? & nihilominus, nullus, vt opinor, Theologus affirmabit illas eadem certitudine, atque ipſaſmet definitiones, à Catholicis recipiendas eſſe.* In Concilijs, *inquit*, Card. Bellarminus, [a] maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Nō enim ſunt de fide diſputationes quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum, & illuſtrandum adferūtur, ſed tantùm ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantùm quæ proponuntur tanquam de fide [b].

[a] Lib. 2. de Conc. cap. 12.

[b] Vide etiam Canum lib. 6. de locis, c. 8.

63 Qua-

63 *Quapropter inter vocem, doctrinam, & consensum Ecclesiæ firmiter credentis, aut aliquid de fide definientis, & eiusdem probabiliter tantùm opinantis, magnum constituendum esse discrimen nemo ambigere potest. Qui enim vocem Ecclesiæ firmiter credentis audire contemnit, eum in* errorem, *aut* hæresim *prolabi nemo Catholicorum inficiatur; qui verò Ecclesiæ probabiliter tantùm opinantis doctrinam sufficienti ratione motus non amplectitur, eum nequaquam* hæreseôs, erroris, *aut* temeritatis *periculo sese exponere Doctores Catholici, quorum auctoritatem doctissimi nostri aduersarij facilè admittent, disertis verbis affirmant. Nam Alphonsus Salmeron, & Fraciſc. Suarez viri sanè eruditissimi, pro immaculata B. Virginis Cõceptione confirmanda totius Ecclesiæ Catholicæ praxim*

praxim, & consensum producunt, & nihilominùs contrariam opinionem absq; vllo læthalis culpæ periculo defendi posse tum ipsi apertè concedunt, tum absque graui peccato denegare non possunt. Nos, *inquit* [c] *Salmeron*, vniuersæ penè Ecclesiæ cõsensum opponimus, & Vniuersitatum omnium concordem sententiam. Et *Suarez* [d] Secundum fundamentum, *inquit*, ex Ecclesiæ auctoritate sumendũ est, & primùm totiùs Ecclesię fere vniuersalis consensus. Et pręsertim ab hinc ducentis annis ferme omnes Ecclesiastici Scriptores, Episcopi, vniuersæ fere religiones, & Academiæ subscripserunt.

[c] In Rom. 5. disp. 51 §. Deinde.

[d] Tom. 2. disp 3. sect. 5.

64 *Sed de his satis. Ex ijs etenim, quæ iam diximus, quantulam vim habeant præfatæ aduersariorum obiectiones, eruditus Lector facillimè comprehendet. Atque hæc sunt præcipua, quæ ex*

Concilijs à Card. Bellarm. citatis aduersus meam Apologiam obijciunt aduersarij, cuius quidem librum contra Barclaium diligenter legi, atq; perlegi, quique, vt verum fatear, meo intellectui tam parum satisfacit, vt me in pristina mea sententia potius confirmet, quàm ab ea vllatenus amoueat; cui etiam responsionem aliquam adhibere iamdiu decreueram, nisi alter, cuius id negotij magis intererat, in se, vti à viris fide dignis accepi, prouinciam illam suscepisset; quam tamen iam differendam esse statui, donec eius ad meam Apologiam responsio, quam nostrates quotidie expectant, in publicum egrediatur.

65 Postremo loco obijciunt aduersarij librum quendam, qui inscribitur, Disputatio Apologetica pro potestate summi Pontificis, à Leonardo Lessio, vt ipsi aiunt, viro vtiq; doctissimo compositum, in quo clarè, perspicuè, atque

atque euidenter ex Scripturis, sanctis Patribus, Conciliis, & tredecim efficacissimis rationibus demonstrari *asserunt, penes Pontificem esse potestatem Principes abdicandi, istámq; veritatem non solùm esse* conclusionem Theologicã, *quæ* errori *opponitur, sed* de fide *etiam* expressè definitam, *ita vt contraria opinio absque* manifesta hæresi *sustentari non possit.*

66 *Maximis equidem laudibus librum istum à nonnullis efferri sæpiùs audiui, illumq; à viro pererudito, si verũ est, quod isti aiunt, confectum esse denegare non possum. Verùntamen, si liber hic tam* apertè, *vt isti gloriantur,* demonstrat, *quare in lucem non prodit, sed tanquam* negotium perambulans in tenebris, *in conspectum paucorum, eorúmque duntaxat, qui illi applaudere existimantur, venire permittitur? Vtrum hæc*

boni operis argumenta sint, an potiùs nõ exiguæ in tua causa diffidentiæ indicia non obscura, temetipsum, vir doctissime, qui huius libri Auctor es, Iudicem appello. Præcursorem tuum Anglicum, qui anno integro iam elapso tam grandia de hoc tuo libro pollicitus fuerat, illiusque summarium confecerat, sed ita summatim, vt ne vnam quidem ex clarissimis tuis demõstrationibus *clarè perspicere quis valeat, in manus omnium Catholicorum veniendi potestatem facitis. Et tamen liber ipse, quem vacillantibus animis plenè satisfacturum esse Præcursor ille tuus promiserat, nec prece, nec pretio comparari, neque ab omnibus Catholicis promiseue, sed à paucis admodùm, idque cum pactione solenni, ne eum alijs communicent, conspici potest.*

67 *An forsan veremini librum illum, qui doctrinam* de fide credendam,

dam, atque idcirco ad ſalutem neceſſariam apertiſſimè demonſtrat, cunctis fidelibus, ijſque præſertim, quos à fidei tramite errare certò creditis, diuulgare? Libros æquè periculoſos, & qui iuxta huius Regni leges ſub pœna capitis prohibentur, in manus omnium Catholicorum abſque delectu venire finitis, & librum iſtum tam neceſſarium, vtpote fidei dogmata, vt prætenditis, apertè demonſtrantem, ijſque in rebus, quæ ad iura Principum, ſummique Pontificis ſpectant, in publicum prodire tantopere formidatis? At vereor ne aliter res ſe habeat, quàm quidam apud nos hìc iactitant. Si enim vera ſunt, quæ audio (præterquam quòd imperare temporalia cum diſponere de temporalibus confundere videaris, & ſubditi ex tua ſententia vi ſola excommunicationis à vinculo fidelitatis liberentur, &

Breuia Apostolica ad certam aliquã prouinciã directa, quæ ab Eudæmon-Ioanne literæ priuatę appellantur, & in quibus ne verbum quidem de Principum depositione habetur, eam tamẽ doctrinam, vt rem de fide certã, definiant) quædam ex tuis exemplis, quæ ex antiquis Patribus adducis, vt hanc tuam de Principum depositione doctrinam veteri Ecclesiæ cognitam esse ostendas, non tam ad abdicationem Principum auctoritate Pontificis, quàm ad eos à populo deponendos, & priuata auctoritate etiam occidendos tendere videntur. Sed nolo amplius rem istam exaggerare; tempus est, vt ad Doctorem nostrum Anonymum, qui meam Apologiam hæreseôs, *atque* Ethnicismi *insimulat, sermonem conuertam, cui profectò, si me alicuius erroris, quem in ea contineri existimasset, fraternè admonuisset, ingentes gratias*

* In præfatione Paralleli Torti.

tias eo nomine retulisſem. Verùm cum neque nomen aliquod notum, cui reuerentiam adhiberem, literis ſuis, quæ caſu in manus meas inciderunt, appoſuerit; neque palam, & manifeſtè, ſed furtim, & per inſidias me tam horrendis criminibus apud Catholicos falsò accuſauerit, bonamque mei nominis exiſtimationem in perpetuum violare ſtuduerit; ſi meam innocentiam defendendo eum fortaſſe paulo aſperiùs tractare, & charta, calamoque aliquantulum dentatis rem agere viſus fuero, id ſibimetipſi, me ſummam per iniuriam vltro laceſſenti, acceptum referat, atque in poſterum caueat, ne viros Catholicos, qui hæreſim, *atque* Ethniciſmum *non minori, quàm ipſemet, odio proſequuntur,* hæreſeôs, *aut* Ethniciſmi *tam facilè condemnet.*

Errata corrigenda.

Pag.11.lin.16. *lege* illicito.p.22.in marg.lin.1.l.Cajet.p.23.lin.9.l. aliquo.p.34. lin.13.l.rum i ſent.p.42.lin.10.l.perexiguam.p.53. lin. 14.l.politicum.p 62.in marg.lin.1.l.d. 151.p.65.lin.vlt.l.requirere ſ p.68.lin.4.l.eidem pauperi.ibidem.lin. 18.l. procedit ab *ſine com.* p. 70.lin.17.l.temeritate, ne *cum com.*p.71.lin.21.l.imperanti,ob, *cum com.*p.92.lin.1.l.eerò p.116.10 l.quit, obli.*cum com.*p.137. lin.23.l. obligatione p. 124.lin.6.l. efficienter.p. 131.lin.3. *ego profecto non ſatis intelligo*,charactere maiuſculo ſcribi debent.p.131.lin.7.l.ſine. p.134.lin.23 l.Princeps eſt *ſine com.*p 147.lin.10.l.veluti per. p.151 lin.2.l.perhorreſcis ſ p.181.lin. 5.l.Princeps.pag.189.lin.21.l.vitioſa eſt,ſcandaloſa eſt,ergo.p.206.lin.5,l.ciuitate.p.213.lin.vlt.l.non in corpora.

Errata in Præfatione.

Nu.3.lin.39.le.ne.nu.10.lin.3.l.Theologis omnibus.nu.12.lin.17. l.aues.nu.21.lin.25.l.reddãt nu.34.lin.11.& 14.l.Synodo illa .nu.37. lin. 11.l ſcribat. nu.45.lin 9.l.ſummi Principis.nu.45 l.20,l.non recognoſcentes. nu.43.lin. 5.poſt verbum reſpondeamus, hæc verba collocãda ſunt,& charactere maiuſculo conſcribenda. Ita enim ex hoc Concilio arguit Card.Bellarminus*: In celeberrimo Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio editus eſt Canon, qui eſt ordine tertius, in hæc verba. Excommunicamus,& anathematizamus omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam Orthodoxam Catholicam fidem, quam ſuperiùs expoſuimus, &c. & infra : Si vero Dominus temporalis admonitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate,per metropolitanum, & comprouinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit infra annum,ſignificetur hoc Summo Pontifici, vt extunc ipſe Vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam,qui eam exterminatis hæreticis ſine vlla contradictione poſſideant,& in fidei puritate conſeruent,ſaluo iure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominùs lege ſeruata circa eos, qui non habent Dominos principales.

*In tract. contra Barclaium pag.30.

Quid hic Barclaius diceret ſi hæc non eſt Eccleſiæ Catholicæ vox,vbi,obſecro,eam inueniemus ? & ſi eſt (vt veriſſimè eſt) qui eam audire contemnit, vt Barclaius fecit, an non vt Ethnicus & publicanus,& nullo modo Chriſtianus, & pius habendus erit?

A. NO 63

Sed hæc obiectio facile diſſoluitur.Inprimis igitur,&c.

Reliqua, ſi qua occurrant, errata ſtudioſus Lector emendabit:

RESPONSIO APOLOGETICA PRO IVRE PRINCIPVM.

LIteræ quædam à te (quocunque nomine vociteris) cõscriptæ per plurium ora, manusque feruntur, in quibus, vt amici tui postulatis satisfacias, vel saltem satisfacere te simules, quid de mea pro iure Principum Apologia, adeoque de potestate Papali Principes deponendi, ex animi tui sententia sentiendum sit, candidè, fideliterque declarare prætendis. Quod quidẽ si eo animi candore, quem præ te geris, præstitisses, plurimis me quoque modis vnà cum amico tuo tibi deuinctum meritò

 existi-

existimassem. De hoc etenim certiorem fieri plurimùm desidero, qua certitudine communis hæc Theologorum, præsertim recentiorum, opinio de Principibus secularibus auctoritate Papali Principatu priuandis defendi debeat. Et si semel mihi quispiam *euidenter demonstrauerit*, eam à nullo verè Catholico absque fidei Catholicæ abnegandæ, aut læthalis noxæ perpetrandæ periculo repelli posse, statim conquiescam, atque à veritate tum amplectẽda, tum etiam promulganda nulla me vel terreni præmij spes, vel pœnæ metus per tantillum temporis spatium retardabit.

2 Interim nemo mihi iure succensere poterit, si incertas quorundam Doctorũ opiniones pro indubitatis fidei dogmatibus nobis quasi per vim obtrudi grauatè feram. Veneror equidem illustrissimum Bellarm. & singularem, perfectamque illius in omni fermè doctrinę genere eruditionem plurimùm admiror; sed quòd auctoritas sui testimonij, alteriusve Doctoris cuiuscunque non minori doctrina, ac dignitate prẽditi tãtùm apud Catholicos valere debeat, vt quicquid ipsi de fide certum esse sentiãt, statim pro diuino quasi oraculo, cui falsum

subesse

subesse nequit, habendum sit, & contraria Catholicorum, tametsi longè pauciorum opinio, non tam sententia, quàm hæresis æstimanda, istud profectò æquo animo ferre non possum.

3 Non te latet quantis precibus Lectorem obsecrauerim,* vt si *fortè aliqua in mea Apologia reperiret, quæ sibi non arriderent, modestum, vt decet Catholicum, sed solidum, vt Theologo conuenit, responsum adhiberet, neque ipsi difficultati tenebras offunderet, sed eam firmis rationibus clarè, & perspicuè explicare studeret.* Verùm enimuerò, quàm imperitè tu, & dolosè, vt Bellarmini sententiam, *tanquam de fide certam*, defendas, meam Apologiam impugnaueris; adeoque amici tui expectationem turpiter fefelleris, neque syncerè, vt præ te fers, sed versutè admodum quæstionem hanc grauissimam pertractaueris, ipsamet tua scripta, quæ ego inferiùs in fine meæ Responsionis integrè, fideliterque subijciam, nimis apertè testantur. Nam & controuersiæ statum fraudulenter inuertis, & mihi ea, quæ nec per somnium cogitaueram, tanquam à me dicta iniuriosè obtrudis, vt ita liberiùs in mea scripta debaccheris, illisque

* in Præfatione.

fœdissimas *hæreſeωs*, ac *Ethnicismi* notas maiori cum audacia inuras. Cęterùm, dum tu dolo malo mea scripta per ora hominum traducere pertentas, bonam tui nominis existimationem in controuersiam adducis, & qui hucusque eximiæ tum probitatis ob munus Sacerdotale, tum eruditionis ob Doctoris officium, quibus fungi te audio, à plurimis es habitus, nunc tua fraude, & imperitia falsam de tua doctrina, ac integritate opinionem eos animis suis imbibisse apertissimè demonstras.

4 Nam, præterquam quòd calumnias, quas mihi falsò imponis, euidenter contundam, tuamque tum inscitiam, tum malitiam clarissimè patefaciam, quàm grauem tu præterea, nisi te meliùs purgaueris, censuram merearis, dum ita præcipitanter pronuncias, primò, [a] *posse Sacerdotes vnà cum populo, & quando possunt, teneri in sui defensionẽ arma corripere aduersus Principem illis sub pœna capitis iniusta imperantem*; secundò, [b] *obedientiam ciuilem*, quæ Principibus etiã hæreticis, atque infidelibus in rebus licitis iure diuino exhibenda est, *ex mala Principis intentione reddi malam, & scandalosam, ac proinde per spiritualem summi Pontificis auctori-*

a Nu. 14. tui libelli.

b Nu. 15. 16. tui libelli.

auctoritatem ſubditis inhibendam; & tertiò, [c] *penes ſummum Pontificem eſſe poteſtatem de dominijs Principum, & obedientia ſubditorũ pro maiori Dei gloria diſponendi*, illis, ad quos ſpectat, iudicandum relinquo, tuque ipſe ex ijs quæ inferiùs [d] dicam, cum graui tuo cordolio facillimè deprehendes.

[c] Nu. 17. 20. tui libelli.

[d] A nu. 34. ad 41. à nu. 64. ad 84. & à nu. 128. ad 133.

5 Denique, ſi ego, dum omnis culpæ, quam in me immeritò conijcis, ſuſpicionẽ à me dimoueo, tuam prudentiam, ſcientiam, ac ſyncéritatem in ius vocauero, id tibimetipſi vitio vertas, qui, vt mihi nequaquam te prouocanti, nec leui aliqua iniuria vnquam afficienti non leuem aliquam labeculam, ſed turpiſſimas *hæreſeωs*, ac *Ethniciſmi* maculas ſummam per iniuriam aſpergas, falſa, indocta, ſeditioſa, ac ſcandaloſa effutire non reformidas. Igitur, vt ad rem propiùs accedam, quàm pulchra tibi caſtella in aëre fabricaueris, atque adeo cum vmbris conflictans inſignem, ſcilicet, de ijs victoriam reportaueris, paucis accipito.

6 *Duo*, inquis, [e] *ſunt præcipua fundamenta, quibus innixus Widdringtonus impugnat Eccleſiæ poteſtatẽ ad deponendos Principes, qui hoſtes ſunt Eccleſiæ. Primum in hoc collocatur, quòd iudicet Eccleſiæ poteſtatem ita*

[e] Nu. 2. tui lib.

cc *esse merè spiritualem, vt non alia obiecta, sen*
cc *media habeat ad consequendum, & protegen-*
cc *dum suum finem spiritualem, nisi eâdem ana-*
cc *logiâ purè spiritualia, vtpote verbi prædica-*
cc *tionem, administrationem sacramentorum,*
cc *excommunicationem, atque censurarum di-*
cc *strictiones. Ex quo concludit, non posse sum-*
cc *mum Pontificẽ aliter animaduertere in Prin-*
cc *cipem delinquentem hæresi, vel apostasia, im-*
cc *pedientem q̃ finem dictum spiritualem Euan-*
cc *gelij, nisi in ipsum edicendo sententiam excõ-*
cc *municationis, alteriusve censuræ, vel opera*
cc *pietatis exercendo; vnde sperari possit diuini*
cc *numinis fauore reuocandum quandoq; ad sa-*
cc *niorem mentem.*

cc 7 *Alterum in hoc positum videtur, quòd*
cc *reputet secum, Iuramentum fidelitatis Princi-*
cc *pi præstitum esse indispensabile, & non obedire*
cc *in ciuilibus esse vsque adeo in subdito intrinse-*
cc *cè malum, vt ex nullo honesto fine, aut euentu,*
cc *vllove in terris imperio possit virtute, ac re-*
cc *ctitudine moris insigniri. Atque hinc elicit,*
cc *non posse puniri Principem damno temporali,*
cc *quantumuis hæreticum, vel atheum, nisi à solo*
cc *Deo, neque proinde posse Pontificem illi adi-*
cc *mere imperium in iuratos subditos, vel hosce*
cc *absoluere à vinculo Iuramenti suscepti ab ipsis.*

8 *Hæc*

8 *Hæc duo fundamenta, præterquam quòd Ethnicismum mihi videntur sapere, atque in lucem nostræ ætatis reuocare obsoleta veterum Imperatorum numina nulla lege, aut iure coercenda, quantumuis insanire, & in genus humanum illis furere libitum fuerit, Ecclesia interim adducta in euidentissimum periculum, & quasi obiecta in prædam malorum Principum cupiditatibus, insuper fidei Catholicæ veritati apertè repugnare apud me exploratissimum, quod sigillatim, ac seorsim istis ostendere aggrediar.* Hæc tua sunt verba, nu. 2.3.4.

9 Iste igitur tui discursus finis, hic scopus est, vt duo potissima fundamenta à Widdringtono (si tibi hac in re credere fas esset) ad potestatem Papalem Principes deponendi impugnandam posita funditùs euertas, atque in profundum *hæreseωs* ac *Ethnicismi* barathrum abijcias. Quibus semel prostratis totum suæ Apologię pro Iure Regio ædificium protinus corruere nemo inficiari potest. Cæterum non esse hæc Widdringtoni fundamenta, sed meras imposturas ex tuo cerebro cõfictas quiuis vel mediocriter doctus, qui eius Apologiam vel properans percurrerit, statim dispicere

valet : cum non semel ac iterum, sed sæpissimè, nec quasi pertransiens, sed ex instituto ea quæ me negare asseris, disertis verbis doceam, atque confirmem; vt clarum sit, vel te non intelligere quæ legis, idque in rebus clarissimis, quasque ad fidē pertinere velis, quod sanè cum insigni illa eruditione, quæ in Doctore Theologo elucere debet, non aptè cohæret; vel si intelligis, ea in contrarium prorsus sensum, quàm à me dicta sunt, de industria detorquere, vt ita fidentiùs mea scripta *Ethnicismi*, & *hæreseos* insimules, quod profectò à pura, nitidaque conscientia, quam in viro probo, Deique Sacerdote inesse oportet, longissimè abhorret.

10 Vt autem à primo fundamento initium sumam, fingis me asserere, potestatem Ecclesiæ ita esse merè spiritualem, vt non alia obiecta, seu media habeat ad consequendum, & protegendum suum finem spiritualem, nisi eâdem analogiâ purè spiritualia, vtpote verbi prædicationem, administrationem Sacramentorum, excommunicationem, atque censurarum districtiones: Quod etiam inferiùs repetens; *Multum*, inquis, [f] *in hoc insistit Widdringtonus*, quòd

[f] Nu. 18. tui libelli.

quòd res temporales non ſint ſubiectæ Pontifi- »
cis auctoritati, eo quòd inſtrumenta, & media »
poteſtatis ſpiritualis debeant eſſe ſpiritualia, »
non carnalia, vel temporalia. Verùm hoc aper- »
tè fidei Chriſtianæ repugnat, &c. »

11 Atque in hoc pronunciato non meo, ſed figmento planè tuo impugnando plures chartas otioſè conſumis, atque hoc ſolum probare contendis, ſpiritualem ſummi Pontificis poteſtatem occupatam eſſe in temporalibus, vt conducunt ad finem ſpiritualem, verſari circa temporalia, habere ſibi ſubiectam rem temporalem, idoneam ſibi habere rem temporalem, poſſe præcipere rem temporalem pro bono fidei, ac religionis. Et tandem ita concludis: g *Probatum itaque maneat ex fidei dogmate ſpirituale ſummi Pontificis poteſtatem habere pro materia ſubiecta temporalia, non quidem vt temporalia, vtpote in ſuis naturis conſiderata, vel vt iuſſa, & prohibita à Principibus ſecularibus, vel vt relata ad temporalem in republica tranquillitatem, vt finem, ſed vt ſubſunt hiſce duobus reſpectibus, conducendi ſcilicet ad finem virtutis, vel abducendi homines à virtute, deſtinandi eos ad vitia, &c.*

g Nu. 11. tui libelli ad finem.

12 Sed cur, obſecro, tot verbis inanibus

bus aërem verberas? quem feris? in quem te aduersarium intendis? Widdringtonus enim toties hoc idem, quod tu hîc affirmas, tam claris, apertisque verbis docet, repetit, atque inculcat, vt mirum sit, qua fronte vir eruditus, nisi omnem prorsus pudorem abiecisset, commentum adeo manifestum, vt à fœdo mendacij nomine, honoris tui gratia abstineam, illi imponere audeat. Atque vt clarè perspicias, quàm turpiter tu tum scriptis meis, tum tua scientia, & conscientia abutens, cum tuo etiam amico, qui magnam in tua synceritate fiduciam collocasse videtur, fraudulenter te gesseris, ponam tibi ante oculos quasdam propositiones in mea Apologia ad verbum expressas, ex quibus, quàm egregium impostorem egeris, & quàm exigua fides in rebus tanti ponderis tuis dictis deinceps adhibenda sit, tumetipse confestim non sine rubore animaduertes.

13 Imprimis enim in quarto Corollario [h] asserit Widdringtonus, *administrationem temporalium in ordine ad bonum spirituale, id est, quatenus spirituali saluti aduersatur, qua ratione naturam criminis spiritualis induit, ad forum Principis Ecclesiastici pertinere,*

[h] Nu. 93.

tinere, in quo corrigi, & iudicari debet. Et nu. 97. *Quapropter esto*, ait, *quòd Princeps Ecclesiasticus habeat potestatem dirigẽdi, præcipiendi, atque compellendi Principes temporales etiam in temporalibus, quatenus temporalia animarum saluti notabile damnum afferunt, non tamen propterea potestatem habet omni pœnarum genere transgressores puniendi, sed pœnis tantùm certis, & à Christo definitis.*

14 Deinde in quinto Corollario ita ait; [i] *Quocirca licet Ecclesia habeat potestatem sibi à Christo traditam dirigendi Principes seculares in ordine ad bonum spirituale, seu imperandi illis, & cogendi, ne in perniciem suarum animarum tali, vel tali modo illicitè de temporalibus disponant, non tamen proinde sequitur, Ecclesiam in ordine ad salutem animarum habere dominium rerum temporalium, aut potestatem de temporalibus disponendi; sed hoc solum colligi potest, Ecclesiam habere potestatem dirigendi, imperandi, atque pœnis Ecclesiasticis constringendi Principes seculares, ne cum dispendio salutis spiritualis temporalia administrent.* [i] Nu. 101.

15 Et nu. 141. *Sicut*, inquit, *spiritus carni præcipere potest, vt omnes suas affectiones*

nes inordinatas, quæ penè innumeræ sunt, iuxta rationis normam repellat, non tamen ipsam carnem rebellem, & sua desideria perficientem, omni pœnarum genere castigare poterit, ita etiam potestas spiritualis imperandi temporali, quando fini spirituali, seu animæ saluti obest, est quidem penè illimitata, sicut infinita ferè sunt peccatorum genera: potestas tamen coercendi, seu pœna afficiendi temporalem potestatem sibi in ijs, quæ ad animæ salutem spectant, contradicentem, est ad certum terminum, extra quē egredi non licet, à Christo definita. Et nu. 152. docet *potestatem ciuilem, & Ecclesiasticam apud Christianos accidentaliter, & quodammodò subiectiuè coniungi, ratione cuius coniunctionis potestas ciuilis subiecta est per accidens potestati spirituali in rebus tantùm spiritualibus, & nō in temporalibus, nisi quando temporalia ratione peccati annexi, quod est spirituale, naturam spiritualem induunt.*

16 Et nu. 154. *Si*, inquit, *contingat, potestatem ciuilem abuti tēporalibus in damnum reipublicæ spiritualis, & finis illius, qui est animarum salus, per accidens subijcitur potestati spirituali, cui commissa est cura spiritualium, & consequenter potestatem iurisdictionis*

ctionis habet ſuper omnes actiones externas, quæ finem ſpiritualem iniuſtè impediunt. Immò & ipſemet gladius materialis ex Widdringtoni ſententia Eccleſiæ imperio nonnunquam ſubijcitur. *Poteſt*, inquit, [k] *Eccleſia propter inſtantem ſuiipſius neceſſitatem præcipere, vel prohibere vſum gladij materialis.* k Nu.197.

17 Denique, vt plura ſimilia loca præteream, in Reſponſione ad exemplum ex S. Ambroſio deſumptum (de quo inferiùs *mihi tecum de tua inexcuſabili fraude expoſtulaturo iterum erit ſermo,) [l] *Princeps ſpiritualis*, inquit Widdringtonus, *ex vi ſuæ poteſtatis ſpiritualis poteſt Principem politicũ cogere pœnis ſpiritualibus, & intra fines poteſtatis Eccleſiaſticæ, ne temporalia in detrimentum ſuæ ſalutis ſpiritualis, vel aliorum illicitè adminiſtret.* Et paulo pòſt ita concludit: [m] *Verùm cum ſolùm oſtendat Bellarminus Ambroſium excommunicaſſe Theodoſium, & præcepiſſe illi, vt propter bonum ſpirituale legem politicam conderet, nihil aliud confirmat, quàm quod ſæpiùs ex profeſſo tradidimus.* *Nu.27.28. l Nu.377. m Nu.378.

18 Ex his igitur ſatis perſpicuum eſt, me non aſſerere, vt tu nimis impudenter comminiſceris, *ſpiritualem Eccleſiæ poteſtatẽ non ſeſe*

ſeſe extendere ad temporalia, aut, *rem temporalem in ordine ad bonum ſpirituale præcipere non poſſe*, aut, *temporalia, quatenus fini ſpirituali obſunt, non eſſe ſubiecta ſpirituali ſummi Pontificis auctoritati, aut poteſtatem Eccleſiæ ita eſſe merè ſpiritualem, vt non alia obiecta, ſeu media habeat ad conſequendum, & protegendum ſuum finem ſpiritualem, niſi eadem proportione purè ſpiritualia.* Sed cum ego ex profeſſo media diſtinguam, eaque in duplici differentia conſtituam, quædam dirigentia, quædam conſtringentia, quæ poteſtati, ſeu vi dirigenti, atque conſtringenti in qualibet lege, & præcepto comprehenſis correſpondent, atque contendam, res omnes temporales, quando ſpiritualis boni neceſſitas id poſtulauerit, ſupremi Eccleſiæ Paſtoris directioni, ſiue imperio, atque etiam ſpirituali eiuſdem, non autem temporali coercioni ſubiacere, tu hanc diſtinctionem callidè diſſimulans controuerſiæ ſtatum omnino immutas, atque amico tuo, ſed parum amicè perſuadere niteris, me in vniuerſum negare, Eccleſiam alia habere obiecta, ſeu media ad conſequẽdum, & protegendum ſuum finem ſpiritualem, niſi merè ſpiritualia, & nihilo minùs ſcripta

mea

mea apertè clamant, me de ſolis medijs conſtringentibus, & non de dirigentibus locutum eſſe.

19 Quoniam igitur in quo tota huius controuerſiæ difficultas conſiſtit, vel non intelligis, vel non intelligere te fingis, tecũ paulo apertiùs agam, atque vt nullus tibi deinceps tergiuerſandi relinquatur locus, illud, quod ſæpiùs in mea Apologia de induſtria annotaui, iterum in tui gratiam repetere non grauabor. Aio res omnes temporales in ordine ad bonum ſpirituale, id eſt, quando ſpiritualis boni neceſſitas id requirit, ſpirituali Eccleſiæ auctoritati, ſiue imperio ſubiectas eſſe. Atq; vt rem clariùs exemplis illuſtrem, poſſunt Epiſcopi vt tu hîc refers, iuxta Concilij Tridentini decretum meretrices publicas extra oppidũ, vel diœceſim eijcere, id eſt, vt egrediantur imperare. Poſſunt hæreticis, ſi bonum ſpirituale id neceſſariò exigit, commercium ciuile interdicere, alijſque præcipere, ne cum illis orent, edant, loquantur *. Poſſunt Iudici ſeculari præceptum imponere, vt homines ſceleratos capitali pœna ex legum præſcripto dignos è medio tollant. Poſſunt Principibus ſecularibus, quod tu crebrò inculcas,

* Iuxta illud Ioh. 2. nec Aue ei dixeritis.

inculcas, præcipere, ne clericos ob neceſſariam, ſuoque ſtatui Clericali debitam reuerentiam ad fora Iudicũ ſecularium abſque Epiſcopi licentia trahi permittant. Denique penes Eccleſiam eſt poteſtas cuilibet Chriſtiano præcipiendi, vt quamcunque pœnam temporalem, quæ ad æternam ſalutem conſequendam neceſſaria exiſtit, patienter ſuſtineat. Neque de hac imperandi poteſtate, ſed ſolùm de modo, quo Pontifex Chriſtianos ad iuſſa ſua exequenda conſtringere valet, vlla, meo quidem iudicio, difficultas eſſe poteſt.

20 Si autem meretrices ad Epiſcopi imperiũ ciuitate exire recuſauerint, poteſt quidem eas cenſuris Eccleſiaſticis ad exeundum compellere, ſed vi, & armis illas ex ciuitate extrudere, niſi brachij ſecularis opem imploret, nequaquam poteſt. Si hæretici contra Epiſcopi iuſſum cum alijs, & alij viciſſim cum illis communicare voluerint, nulla alia remedia ad eos coercendos præter ſpiritualia ſpirituali poteſtati ex Chriſti inſtitutione ſuppetunt. Si Iudex ſecularis homines nequam pœna mortis mulctare abnuerit, poteſt eum Epiſcopus ſpirituali anathematis gladio percutere, ſed

in

in illos proprijs manibus animaduertendi, illorumque ceruices amputandi, nulla Episcopo ex lege Christi potestas competit. Si Principes Christiani, non obstante Pontificis præcepto, Clericos irreuerenter tractari sinant, potest eos Pontifex ob suam inobedientiam è regno Christi, quod est Ecclesia, eijcere, sed temporali regno illos priuare nullatenus valet. Denique si quis pœnam temporalem, quæ sibi in necessarium suæ salutis remedium per præceptum Ecclesiæ imponitur, subire contempserit, potest eum supremus Ecclesiæ Pastor ob contumaciam animaduersione spirituali castigare, sed ad alia arma constringentia, quàm spiritualia, eius auctoritatem extendi, non est adhuc à Card. Bellarmino vllibi [o] sufficienter demonstratum.

21 Vides itaque, quàm amplam ego summo Pontifici in rebus temporalibus imperandi tribuo potestatem, vt iam te latere nullatenus possit, quàm vana sit, ac planè friuola hæc tua primi illius fundamenti confutatio, cum hoc solum comprobare contendas, *potestatem in rebus temporalibus imperãdi* pro bono fidei, ac religionis, summo Pontifici ex Christi institutione competere,

[o] Nec in controuersijs, nec in Respons. ad Barclaium.

petere, *ſed poteſtatem de temporalibus diſponendi*, quam ego à *poteſtate imperandi* longè diſtinctam eſſe fuſiùs in mea Apologia P commonſtraui, & de qua ſola diſputatio præſens inſtituitur, tametſi tu vtramque frandulenter confundas, ſummo Pontifici ex lege Chriſti conceſſam eſſe nullo planè exemplo, aut ratione confirmas.

P Nu. 99. & ſeq.

22 Antequam autem ad ſecundum illud fundamentum, ſeu veriùs figmentum tuum impugnandum accedas, tria ex ijs, quæ ſuperiùs à te dicta ſunt, corollaria deducis.

[redacted]

« Primum eſt, *Spiritualem P*
« *tem ſeſe extendere ad tempor*
« *duobus dictis reſpectibus, aut*
« *tutis, & conducendi ad bon*
« Secundum eſt, *Iure diuin*
« *de facto coercitam eſſe, & li*
« *tem ciuilem præcipiendi in Pr*
« *nutum, atque reſtrictum ius fa*
« *in ipſiſmet ſubditis aliter quàm ipſis*
« *naturæ vel gentium merè, ac purè contingit,*
« *adeoq; in vtriſq; pro bono virtutis adhuc magis poſſe coerceri, atq; limitari iura, quæ habent*
« *in res temporales.*

Tertium corollarium eſt, *Poſſe virtute iuris*

iuris positiui, vel diuini ita promoueri fi- »
nem virtutis, procurari, & conseruari, vt »
Principi obsistenti quoad temporalia infera- »
tur inde damnum, seu nocumentum tem- »
porale.

23 In his tribus corollarijs, quod ad rem ipsam attinet, me tecum, si te rectè explicaueris, consentientem reperies. Cum enim res temporales in ordine ad bonum spirituale, siue animarum salutem, spirituali summi Pontificis, qui supremus animarum Pastor à Christo constitutus est, auctoritati, siue imperio subijciantur, vt sæpius in mea Apologia declaraui, consequens est, potestatem Principis Christiani temporalibus eatenus restrictam, & limitatè, quatenus spiritualis boni necessitas exigere dignoscitur; & propterea, si temporalis administratio bonum spirituale impediat, tenetur Princeps temporalis etiã cum detrimento temporalis boni modum illum administrandi immutare, vt paulo fusiùs q ad primam Card. Bellarmini rationem respondens annotaui. Quocirca de istis corollarijs, quod ad eorum substantiam spectat, nulla prorsus inter nos discrepantia existit, sed quod ad modum, quo

q Nu. 68. & seq.

petere, *ſed poteſtatem de temporalibus diſponendi*, quam ego à *poteſtate imperandi* longè diſtinctam eſſe fuſiùs in mea Apologia P commonſtraui, & de qua ſola diſputatio præſens inſtituitur, tametſi tu vtramque frandulenter confundas, ſummo Pontifici ex lege Chriſti conceſſam eſſe nullo planè exemplo, aut ratione confirmas.

P Nu. 99. & ſeq.

22 Antequam autem ad ſecundum illud fundamentum, ſeu veriùs figmentum tuum impugnandum accedas, tria ex ijs, quæ ſuperiùs à te dicta ſunt, corollaria deducis.

C. « Primum eſt, *Spiritualem Eccleſiæ poteſtatem ſeſe extendere ad temporalia, vt ſubſunt duobus dictis reſpectibus, auocandi à bono virtutis, & conducendi ad bonum virtutis.*

« Secundum eſt, *Iure diuino, & Eccleſiaſtico de facto coercitam eſſe, & limitatam poteſtatem ciuilem præcipiendi in Principe, ac diminutam, atque reſtrictum ius faciendi multa in ipſiſmet ſubditis aliter quàm ipſis ex iure naturæ vel gentium merè, ac purè contingit, adeo q. in vtriſq. pro bono virtutis adhuc magis poſſe coerceri, at q. limitari iura, quæ habent in res temporales.*

Tertium corollarium eſt, *Poſſe virtute iuris*

iuris positiui, vel diuini ita promoueri finem virtutis, procurari, & conseruari, vt Principi obsistenti quoad temporalia inferatur inde damnum, seu nocumentum temporale.

23 In his tribus corollarijs, quod ad rem ipsam attinet, me tecum, si te rectè explicaueris, consentientem reperies. Cum enim res temporales in ordine ad bonum spirituale, siue animarum salutem, spirituali summi Pontificis, qui supremus animarum Pastor à Christo constitutus est, auctoritati, siue imperio subijciantur, vt sæpiùs in mea Apologia declaraui, consequens est, potestatem Principis Christiani in temporalibus eatenus restrictam, & limitatã esse, quatenus spiritualis boni necessitas id exigere dignoscitur; & propterea, si temporalis administratio bonum spirituale impediat, tenetur Princeps temporalis etiã cum detrimento temporalis boni modum illum administrandi immutare, vt paulo fusiùs q ad primam Card. Bellarmini rationem respondens annotaui. Quocirca de istis corollarijs, quod ad eorum substantiam spectat, nulla prorsus inter nos discrepantia existit, sed quod ad modum, quo

q Nu. 68. & seq.

ea explicare contendis, attinet, aliqua habeo, quæ iure reprehendam.

24 Et primò quidem, quando affirmas, ſpiritualem Eccleſiæ poteſtatem ſeſe extendere ad temporalia, eaque pro bono virtutis præcipere poſſe, non ſatis explicatè loqueris. Non enim declaras, vtrum pro bono virtutis conſeruando duntaxat, an etiam pro amplificando quælibet virtutum opera à ſummo Pontifice præcipi poſſint. Nonne Euangelica conſilia præclariſſima virtutum opera ſunt, & vt media quædam ad bonum virtutis conſeruandum, tametſi non ſimpliciter neceſſaria, valde tamen conducibilia à Chriſto proponuntur, atq; conſuluntur? Sunt enim, vt rectè ait Petrus Caniſius,[r] *incitamenta, & ſubſidia quædam commoda admodùm, quæ infirmis aduerſus mundi, carniſque illecebras arma præbeant, quæ bonorum conatus in curſum veræ pietatis ad meliora prouehant, quæ ſpiritum ad præſtanda religionis, diuiniq; cultus officia expeditiorem reddant.*

r Cap. 6. de cõſilijs Euang.

25 Viſne igitur poſſe Pontificem Principibus, alijſve præcipere, vt virginitatem ſeruent, vt vendant omnia, & pauperibus erogent, vt tum bonis ſuis, tum voluntati propriæ

propriæ renuncient, aut similia virtutum opera pro bono fidei, & religionis exerceant? Nisi enim istud asseuerare velis, quorsum ita generatim asseris, [f] *si omissio obseruantiæ erga Principem in rebus temporalibus*, & consequenter quæcunque similis actio, *ex vna parte non sit mala ab intrinseco, & ex altera humano iudicio æstimante sit medium necessarium, vel conducens* [t] *ad virtutem, quæ finis est & scopus spiritualis potestatis in Pontifice, tunc certũ est, & de fide illam omissionem esse præceptibilem? Quorsum ita vniuersim doces, posse* [u] *Papã, vt Papam præcipere quodlibet ciuile*, & ex cõsequenti quodlibet spirituale, vtpote magis directè potestati spirituali subiectum, *si in eo ratio virtutis, & pietatis inueniatur?* Quorsũ alibi [x] *certa fide contestatum esse* ais, *temporalia Principum, subditorumq; obedientiam subijcienda spirituali summi Pontificis auctoritati pro bono virtutis, beatitudinis, & maioris* [y] *Dei gloriæ?*

f Nu. 12. tui libelli.

t Nota illud *conducens.*

u Nu. 14. tui libelli.

x Nu. 20. tui libelli.

y Nota illud *pro bono maioris gloriæ Dei.*

26 Sed vbi, obsecro, hanc nouam Theologiam didicisti, posse summum Pontificem quodlibet pietatis opus, & quemcunque virtutis actum imperare? Sanctus Thomas, [z] cum quo cæteri omnes Theologi

z 1.2.q.96.ar.

logi [a] concordant, docet quidem, leges humanas singularum virtutum actus aliquos, at non omnes præcipere posse; sed singula pietatis opera, & quamlibet actionem, in qua ratio virtutis inuenitur, quæ bono spirituali conseruando solùm *conducit*, neque apud S. Thomam, neque vllum alium Theologum scriptum reperies. Si Widdringtono talia dicta ex ore excidissẽt, scio quã acriter in illum inuehereris, qui, vt aliquam eum carpendi ansam arripias, ea, quæ nunquam illi in cogitationem venerunt, falsissimè, & non sine dolo manifesto illi obiectas.

a Caret. Medina, Vasques, & alij ibidem. Salas de legibus, disp. 9. sect. 3.

27 Nam præterquam quòd, quàm impudenter primum illud fundamentum mihi imposueris, tibi clarissimè patefeci, atque non minori te impudentia secundũ quoque fundamentum mihi obiecisse inferiùs demonstrabo, intolerabilis sanè est audacia tua, qua me in tertio tuo corollario calumniari non erubescis. Postquam enim peruulgatum illud B. Ambrosij, qui Theodosium coegit, illiq́ue, vt ex Theodoreto refers, præcepit, vt legem illam politicam conderet, exemplum adduxeras ad probandum, res temporales summi Pontificis

Pontificis imperio subiectas esse, ita subiungis, [b] *Neque iuuat, quod respondet Widdringtonus, illud præcepit, vel coegit, apud Theodoretum idem valere, quod persuasit. Quis enim hoc pacto non possit omnia testimonia eludere? Sed familiare est huic vbique venari ambigua, vel æquiuocationes, vt pressus argumento sensum, quem ipse vult, arripiens, aliquò in sinu triumphaturus euadat.* b Nu. 14. tui libelli.

28 Verùm hanc tu responsionem conscientia tua procul dubio reclamante Widdringtono obtrudis, neque vllatenus dubito, quin tumetipse hæc tua dicta memoria recolens, nisi frontis planè perfrictæ sis, non exiguo rubore suffundaris. Scis enim optimè, & scripta mea apertè clamant, [c] me perspicuis verbis fateri, B. Ambrosium Theodosio *præcepisse* quidem, vt legem illam politicam, quam tu refers, sanciret, sed inde nihil aliud colligi posse commonstraui, quàm quòd Princeps spiritualis ex vi suæ potestatis spiritualis possit Principi temporali in rebus temporalibus propter bonum spirituale *imperare*, ac *pœnis spiritualibus*, vt iussa sua adimpleat, *coercere*. c Nu. 376. meæ Apologiæ.

29 Neque *familiare est Widdringtono*,

vt tu falsò criminaris, *vbique venari æquiuocationes, & ambigua, vt vim argumenti declinet:* quin potiùs ipse, vt omnem tollat amphibologiam, & difficultatis nodum disrumpat, in distinctionibus, quæ æquiuocationum nebulas dispellunt, adhibendis nimis frequens à nonnullis reputatur. Verùm non familiare, sed naturale tibi est in hoc tuo libello, qui totus ex fraude, & malitia compositus est, non ambigua solùm, sed etiam planè falsa, atque fictitia aucupari, vt ita saltem apud imperitos te Widdringtonum magna tua cum laude, *scilicet*, profligasse videaris, cum tamen ne vmbram quidem illius te insequutum esse viri docti clarè persentiant.

30 Supereſt etiam aliud, quod tu in tertio corollario nimis licenter, ac imprudenter effutire præsumis, quodque à viris prudentibus grauiori censura, quàm tu fortasse credis, dignum reputabitur. Ita enim scribis: [d].

d Nu. 14. tui libelli circa initium.

Si Princeps iniquus, vtpote Atheus, vel hæreticus, malo animo affectus iuberet Sacerdotibus ad prædicandum Euangelium à Pontifice missis, è regno suo discedere, desinere exigere aliquid à plebe vt stipendium iure diuino debitum

debitum altari, quod ius Apostolus Paulus dixit se habere sumendi temporalia pro seruitio spirituali, non conuocare concionem sub pœna capitis, atque sub eadem mulcta præciperet subditis non illos fouere, vel audire, tunc tam Clericis, quàm subditis licitum esset vi iuris naturæ consistere in armis ad vitam contra tyrannidem defendendam, neque arma ad imperatum Principis illos sua cohorte aggressuri, & occisuri deponere tenerentur.

31 *Quòd verò hæc defensio sui sit licita,* Vasquez. 1. 2. tract. de leg. *patet ex communi iure naturæ, quo datur vnicuique ius defendendi vitam contra iniustum inuasorem. Quæ quidem defensio communi iure naturæ cadit sub præcepto, quando id commodè, & sine maiori damno fieri potest. Sumus enim vitæ custodes, non domini, quandoque rationem reddituri huius custodiæ Deo auctori vitæ, & necis. Hæc tamen sui defensio in causa fidei non ita strictè obligat, quin interdum possit omitti, non solùm sine culpa, verùm & cum laude martyrij, vt intelligamus legem naturæ superuenientè fidei consilio non semper obligare. Affirmare verò huiusmodi Clericos, & subditos non posse in hoc casu armis defendere ius suum naturæ, & diuinum, sed debere potius iure politico obijcere se nudis mucronibus*

" *mucronibus confodiendos, est Turcicum, Mus-*
" *couiticum, barbarum, horrendum, & recens*
" *quorundam politicorum post hæresim abiectis-*
" *simæ adulationis idololatria.*

" 32 *Neque in hoc casu Clerici cùm alijs*
" *externis, & subditis detrectantes obedire*
" *Principi in temporalibus, Dei ordinationi resi-*
Rom. 2. *stunt, quod B. Paulus omnino dissuadet. Nam*
" *Princeps iniquo animo affectus erga veram*
" *religionem, & ad procurandam suam impie-*
" *tatem legem condens, vel vim adhibens, dispo-*
" *nendo de temporalibus dupliciter delinquit,*
" *primò abutens rebus temporalibus, quæ, cùm*
" *naturæ constitutione inseruire deberent virtu-*
" *tibus, ad vitia ab ipso destinantur. Deinde non*
" *agit vt Rex, hoc est, non exercet actum pote-*
" *statis illius Regiæ, quam à Deo habuit, aut Re-*
" *publica, eò quòd quæ à Deo sunt, ordinata*
" *sunt, neque directa vllo modo ad destructio-*
" *nem, vt docet Apostolus; sed agit vt Tyrannus*
" *ex potestate, quam iniquè sibi vendicauit, ac*
" *Dæmon inspirauit.*

" 33 *Quod verò ex sacris literis quidam*
" *politici inferunt de potestate Regis iure diuino*
" *apud Iudæos, vel Caluino teste, profanum, im-*
" *mo blasphemum, asserentes Saulem accepisse à*
" *Deo potestatem Regio iure peccandi, finem po-*

liticum

liticum deſtruendi per tyrannidem, & impie- »
tatem : re enim vera Rex non habet plus pote- »
ſtatis, aut in alio ſenſu, quàm primitùs conceſ- »
ſit reſpublica. Idcirco quando Eccleſia, vel ſub- »
diti in cauſa virtutis reſiſtunt Principi, non re- »
ſiſtunt in rebus temporalibus, vt res tempora- »
les ſunt, ſed vt ſunt media vſurpata à Principe »
ad promouenda vitia, maximè infidelitatem: »
neque reſiſtunt Principi, vt Principi, ſed ope- »
ranti ex poteſtate illegitima, quæ reuera nulla »
eſt, quandoquidem à Deo minimè ordinata. »
Maneat igitur probatum, in caſu prædicto »
poſſe Clericos, & ſubditos armis defendere ius »
ſuum ſanguinis, & religionis, quo iure diuino, »
& naturæ ſe læſum iri Princeps reputabit. »
Hæc tu ſatis inconſideratè.

34 Sed proh Deum immortalem, in quæ miſera nos tempora incidimus? qualia ſeditionum flabella ætas hæc noſtra mundo procreauit? An fieri poteſt, vt aliquis ſani iudicij homo inueniatur, qui ſuamet ſponte à nemine prouocatus, hac præſertim tempeſtate, hacque in regione degens, talia ſeditionum incitamenta deblaterare non vereatur? Si tumetipſe Princeps atheus eſſes, aut per ignorantiam propoſitiones hæreticas ardenti zelo tutareris, credo

do equidem, ac firmiter teneo, te eiusmodi spiritus turbulentos, quantumcunque veram Christi religionem se alioquin profiteri conclamitarent, nequaquam in regno tuo commorari libenti animo permissurũ esse. Ligna arida, vt in prouerbio est, sufflatione non egent, vt admotum ignem concipiant; equi indomiti fræno, non calcaribus indigent: Populo effrænato, atque ad rebelliones præcipiti non laxandæ habenæ, sed comprimendæ sunt. Et nihilominùs tu sub ditione, ac potestate Principis tui naturalis, & contrariam tibi religionem profitentis vitam agens, audacter, & imprudenter nimiùm, *Sacerdotes*, inquis, *si iussu Principis è suo regno sub pœna capitis exire compellantur, possunt vnà cum populo, quin etiam quando commodè possunt, tenentur, in sui defensionem arma corripere.* O scitè scilicet, & considerate dictum!

35 Possunt, vt tu ais, immò, quando commodè possunt, tenentur in sui defensionem arma corripere, ergo & aggressores occidere, si aliter se tueri nequeant, licitum quoque illis, & quando commodè fieri potest, eos etiam teneri procul dubio non denegabis. Et si in aliquo oppido, domo, locove

locove munito incluſi ſint, vt aduerſariorum impetus diu effugere non valeant, vtrum in hoc caſu inimicos, antequam eos actu aggrediantur, interimere, ac præuenire liceat, & iuxta doctrinam tuam teneantur, vt ſe defendant, quàm dubiè Theologi [c] in hoc caſu loquantur, tu, qui Theologiæ Doctor es, ſatis exploratum habes; adeo vt quàm facilem populus inconſtans, ignarus, & furibundus anſam arripere poſſit varias ex hac tua doctrina concluſiones pernicioſiſſimas deducendi, & cædibus, ac ſanguine omnia funeſtandi, nemo profectò ignorare queat.

[c] 2.2.q.64.ar. 7. Bannes, Aragon, Salon ibid. Sot. lib. 5. de iuſt. q.1. art.8. Valent. tom.3. diſp.5. q.8. punc.4. dub.1. Sa in aphoriſmis Lutetiæ editis 1601. verbo homicidium, nu.9. Sayrus l.7. Theſauri cap. 10. dub.5. Leſſius. de Iuſt. lib.2. c.9. dub.8. & alij.

36 Sed doleo ſanè imprudentiam tuam, & vtinam ſcriptis dogmata eiuſmodi neque tu, neque alius quiſpiam Catholicus vnquam tradidiſſet. Vereor enim plurimùm, & plures viri prudentes etiam dubitant, te, tuiq́ue ſimiles, bono forſitan zelo, ſed certè non ſecundum ſcientiam, iſtiuſmodi ſeditionum ſemina in vulgus ſpargentes, eaq́ue effrenato populo perſuadere nitentes, grauius ſcandalum ac detrimentum cauſæ Catholicæ attuliſſe, quàm vnquam totis veſtris laboribus reſarcire valeatis. Exiſtimabam equidem in principio periculoſam

periculosam hanc tuam dicendi libertatem silentio præterire, cum ad præsentem, de qua agitur, controuersiam de Principibus auctoritate Papali deponendis intelligendam parum vtilis esse videatur; sed re meliùs considerata te inscitiæ tuæ, pariter ac imprudentiæ paucis commonefacere satius esse iudicaui, tum, ne mea taciturnitas tacitum saltem tuis dictis assensum præbere videretur, tum, vt tu errorem tuum recognoscens, eum, si aliqua salutis tuæ, communisque Catholicorum causæ tibi cura est, quàm citissimè retractares.

37 Verùm vt meliùs intelligas, quàm debile sit hoc tuum argumentum ex communi illo iuris naturæ principio, & ab omnibus recepto, à te autem minùs rectè intellecto petitum, quod tamen tu *euidentissimam demonstrationem* esse arbitraris, hoc tibi inprimis libentissimè concedo, posse quemlibet iure naturæ ab' iniusta cuiuscunque aggressione sese defendere, & vim vi repellere cuilibet eodem iure licet. Nihilominus hæc sui defensio, & violentiæ repulsio cum moderamine inculpatæ tutelæ esse debet, vt omnes Theologi [f] vna voce profitentur. Neque eundem se defendendi

[f] In 2.2.q.64. ar.7. & vbicunq; tractant de homicidio.

fendendi modum priuato contra Magistratum publicum, atque contra alterum priuatum idem ius naturæ, aut gentium concedit. Si enim vir priuatus in vitam, aut bona alterius iniquè grassetur, potest, qui opprimitur, se, suaque bona inculpatè tueri, atque iniustam violentiam etiam cum aggressoris nece, vt probabilior Theologorum fert opinio, si aliter bona sua defendere nequeat, licitè propulsare. At contra Magistratum publicum, qui innocentes vexat, opprimit, priuatque iure suo, non eãdem se armis defendendi licentiam idem ius naturæ, aut gentium permittit, sed recto, ac legitimo ordine seruato procedendum est, ne in republica grauiora mala sequantur, & per tumultus, ac seditiones communis ciuium tranquillitas iniquè perturbetur.

38 Porro eundem planè ordinem in foro ciuili inter Principem, & subditos tenendum esse censeo, quem in Ecclesiastico inter summum Pontificem, & vniuersos Ecclesiæ filios seruandum esse docet Ioannes Azorius g Societatis Iesu Theologus, cuius tamen doctrinam in ijs omnibus, quæ ibi affirmat, confirmare non audeo. Si enim

g Tom. 1. Instit. l. 5. cap. 14. q. 6.

enim inferior Magiſtratus vim inferat, res tota ad ſupremum Principem deferenda eſt, qui de remedio opportuno quantocyùs prouideat. Si Princeps ipſe non minori violentia innocentes opprimat, cum nullum in temporalibus præter Deum Superiorem recognoſcat, à nullo, niſi à Deo, quod ad pœnas temporales attinet, iudicari poteſt. Sed monendus in primis eſt, & orandus ne id faciat; ei ſunt proponendæ rationes, & cauſæ, quibus moueri queat, ne iuſtitiæ, aut religionis leges peruertat, atque per eius conſiliarios, Regniq́ue Proceres rogandus eſt, vt paci, & tranquillitati ſubditorum benignè proſpiciat. Et demum, ſi hæc non ſufficiant, ad ſupremum Eccleſiæ Paſtorem recurrendum eſt, vt ipſe gladium ſpiritualem exerat, atque Cenſuris Eccleſiaſticis, ſi opus fuerit, ne iniquo iudicio innocentes opprimat, Principem compellat.

39 *Et cum obijcitur, iuris naturalis eſſe, vt vim vi repellamus, leg. vt vim ff. de Iuſt. ergo ſubditi ius habent vim illatam à Principe propulſandi*, reſpondet Azorius: *Verum eſt, vim vi repelli iure poſſe, ſed locum id ſolum habet, cum Iudex, vel alius quicunque Superior*

rior priuata auctoritate extra iudicium vim affert, non autem cum publico Iudicis officio functus procedit. Nam, vt rectè Glossa annotauit, in leg. vt vim, ff. de Iust. *Iniquè vim illatam ab homine priuato possumus iure depellere, non autem illatam ab eo, cuius imperio subiecti sumus; quod probat* ex leg. iniuriarum, ff. de iniurijs. *Tunc enim cum Iudex publica auctoritate agit, si vexet, opprimat, & condemnet innocentem, peccat quidem, sed aduersus eum secundum leges, & iura ordine seruato legitimo agendum est, videlicet appellandum est ad Superiorem, recusandus est, contra eum aliquid excipiendum: his enim, & alijs modus innocens se tueri iure potest apud Superiorem Iudicem.*

40 *Quid, inquies, si supremus Iudex damnet innocentem? Respondeo, Innocentis esse pœnam patienti, & æquo animo sustinere, non Iudici manus, arma, & vim inferre.* Hactenus Azorius. Quæ quidem doctrina tum Christi Domini exemplo, tum Scripturæ sacræ testimonio, tum Ecclesiæ primitiuæ praxi, tum ipsi rationi naturali est quam maximè consentanea, adeò vt tu à summa temeritate excusari non possis, qui ex generalibus principijs à te non rectè in-

tellectis tam pestiferas conclusiones deducere non verearis, illisque, qui contra te sentiunt, tot horrenda Turcismi, Barbarismi, hæreseos, ac pestiferæ adulationis nomina seditiosè admodum, insciteè, parumque Christianè imponere non erubescas.

41 In eo autem quod asseris, *non solum posse, sed teneri etiam quemlibet iure naturæ, quando commodè potest, vim sibi illatam armis propulsare, cum custodes vitæ nostræ, non domini simus*, singularem Abulēsis [h] opinionem nulla solida ratione roboratam, communi Theologorum sententiæ firmissimis argumentis stabilitæ immeritò anteponis. Nam, vt plura Scripturæ sacræ, sanctorumque Patrum testimonia missa faciam, satis liquet, præcipuum fortitudinis actum esse damna ab aduersarijs illata patienter, & absque resistentia sustinere, & maiorem charitatem vix quispiam habere potest, quàm si vitam propriam, nisi bono communi magis necessaria sit, (vt est vita Principum, Magistratuum, & aliorum qui Reipublicæ valde vtiles existunt) pro inimicis, & aggressoribus profundere sit paratus.

h In cap. 11. Iosue, q. 11.
i In 2.2. q. 64. ar. 7. Caiet. Bannes, Salon, Arag. ibidem. Silu. verbo Bellum 2. 55. 3. Sot. lib. 5. de Just. q. 1. ar. 8. Valent. tom. 3. disp 5 q. 8. punct. 4. dub. 2. Sa verbo homicidium. Tolet. in Sum. lib. 5. c 6.

42 Custodes quidem, non domini sumus

mus vitæ noſtræ,& proinde ita eam cuſtodire iubemur, vt mortem nobiſmetipſis vel proprijs, vel alienis manibus conſciſcere prohibeamur. Neque ab aliquo Deus vitæ, & necis Dominus rationem exiget, quòd vita ſe priuari ab iniquo Magiſtratu animo tranquillo, & abſque renitentia permittat; ſed qui iniuſtè in alterius necem, vel auxilio, vel conſilio ſuo conſpirat, is Deo in tremendo iudicij die rationem exactiſſimam de tanto ſcelere eſt redditurus; & propterea magis tibi præcauendum eſt, quid in die illo nouiſſimo Supremo omnium Iudici ſis reſponſurus, qui doctrinam hanc peſtiferam, quæ apertam ad rebelliones, & Regicidia viã munit, nulla neceſſitate coactus tradere non pertimeſcis.

43 In hoc autem ingenij mei tarditatem facilè agnoſco, quòd mirabilem illam tuam Theologiam non ſatis intelligam, nempe *legẽ naturæ ſuperueniente fidei conſilio non ſemper obligare*, vt inde commonſtres, defenſionẽ ſui in cauſa fidei non ita ſtrictè obligare, quin interdum non ſolùm ſine culpa, verùm & cum laude martyrij omitti poſſit. Scio equidem lumen fidei rationi naturali minimè aduerſari, & præceptum

minus maiori ſuperueniente nequaquam obligare probè intelligo, ſed quòd lex fidei ius naturale aboleat, & multo minùs quòd conſiliũ fidei legẽ naturę abroget, ego ſanè hanc tuã ſubtilitatẽ penetrare non poſſum.

44 Neque vllius prorſus momenti eſt illud alterum, quod affirmas, *Principem iniuſta imperantẽ nõ agere ex poteſtate legitima, neque vt Rex eſt, Deiq; miniſter, ſed vt Tyrannus, & ex poteſtate quam ſibi illicitè vſurpat*; hoc enim ſolùm arguit, nõ eſſe illi in rebus illicitis, quas præcipit, obtemperãdum; ſed quòd per vim, & arma ſit illi reſiſtendum, aut quòd in rebus licitis, quas præcipit, in quibus vt Rex, Deique miniſter agit, non ſit illi obediendum, nullatenus probat.

45 Friuolum verò, & planè ridiculum eſt poſtremum illud, quod aſſeris, nimirum, *quoſdam politicos affirmare Saulem accepiſſe à Deo poteſtatem regio iure peccandi, & finem politicum per tyrannidem, & impietatem deſtruendi*. Reges enim illis verbis, [k] *Hoc erit ius Regis*, peccandi quidem impunitatem, (id eſt, ſi peccent, à ſubditis puniri non poſſe) à Deo accepiſſe, viri eruditi [l] ſanctorum Patrum, quos in mea Apologia [m] recenſui, dictis adhærentes aſſeuerant,

k 1. Reg. 8
l Alex. Alenſ. Conſtantin. Harmenop. Adam Blacuod. Ninianus Winzet. Greg. Tholoſanus. Barclaius, & alij.
m A nu. 5.

uerant, neque tu facilè contrarium euinces; sed potestatem, seu licentiam peccandi Deum præfatis verbis Regibus tradidisse, nemo Catholicorum, quem legi, vnquam affirmauit. Verùm tu inter peccandi licentiam, ac impunitatem nullum discrimen percipere videris, atque ideo non mirum, si solito tuo more non rectè intelligens quæ legis, Auctorum verba, sensumque peruertas, atque varios tibi aduersarios in aëre effingens, quos politicorum nomine traducere delectaris, exitiales Atheismi, Turcismi, Barbarismi, hæreseos, blasphemiæ, & similium criminum plagas illis animosè infligas, vt ita insignem, *scilicet*, ex victoria triumphum in perpetuam tamen tui nominis ignominiam te deportasse meritò glorieris.

46 Mitto quàm futiles, ac ineptas probationes ad primum fundamentum impugnandum adducas, vt, quòd *haberi pro Ethnico & publicano, ire ad prædicandum Euangelium, accipere aquam ad baptizandũ, eleëmosynas dare, & accipere*, & similia, *sint res temporales*, quòd *Theologi cum S. Augustino doceant, Clericos iure diuino à Seculari potestate exemptos esse*: & alia huiusmodi, in

quibus examinandis diutiùs immorari ſuperuacaneum eſſe duco, cum hoc ſolum illis omnibus demonſtrare contendas, res temporales in ordine ad bonum ſpirituale ſummi Pontificis *directioni*, ſiue *imperio* ſubiectas eſſe: ſed quòd Papa de rebus tẽporalibus, *diſponendi* poteſtatem habeat, de quo lis tota inter nos exiſtit, tu rationibus, quas congeris, nequaquam concludis, neque de hac *diſponendi* auctoritate in tota hac prima tui diſcurſus parte, niſi ſemel duntaxat mentionem vllam facis, quando nimirum ad calcem tuarum probationum accedens ita peroras.[n],

n Nu. 14. tui libelli ad finẽ.

47 *Certum eſt itaque, & de fide, poſſe Eccleſiam ſic lege ſua diſponere de temporalibus, vt inde iniquus Princeps, maximè Atheus, vel hæreticus ſe læſum exiſtimet, ac iudicet; quod euidentiſſimè apparet in emancipatione ſeruorum pro honore, & bono fidei. Licet enim Eccleſia requirat præuium conſenſum dominorum, tamen vi ordinis ſacri ſuſcepti emancipantur, can. Si ſeruus, diſt. 54; & ſi Dominus nollet manumittere, eſt tamen in poteſtate Eccleſiæ pro bono publico, præſertim ſpirituali, ſeruum libertate donare, vt colligitur ex verbis D. Pauli ad Philemonem.*

48

48 Veruntamen, si per *disponere* nihil aliud intelligas, quàm *imperare*, *vt aliquis de suis bonis disponat*, nolo tecum de hac re contendere: Constat enim ex supradictis res temporales in ordine ad bonum spirituale *dispositioni*, siue *imperio* summi Pontificis ex mente mea subiectas esse, neque argumenta tua superiùs allata aliud concludunt. Sin autem velis, *certum esse*, & *de fide*, quòd summus Pontifex ex vi suæ potestatis spiritualis ita de rebus temporalibus *disponere* queat, vt Principes seculares, aliosve priuatos dominio rerum temporalium priuare possit, longissimè à scopo aberras. Neque enim adhuc demonstrasti, aut vnquam, vt opinor, *certis rationibus* comprobare poteris, talem *disponendi*, seu *dominio rerum temporalium priuandi* potestatem summo Pontifici ex Christi institutione concessam esse.

49 Illa autem tua *euidentia*, qua ex seruorum emancipatione illud te deducere arbitraris, non sanè *euidentia*, sed vix leuissima coniectura est. Nam canon ille, *Si seruus*, quem recitas, non summi Pontificis, sed Iustiniani Imperatoris decretum est: quod tu quidem illico deprehendisses, si

aut gloſſam, aut notas in margine, & in fine decreti appoſitas vel oſcitanter perlegiſſes.

50 Neque ex verbis D. Pauli ad Philemonem rectè colligis, *eſſe in poteſtate Eccleſiæ pro bono publico, præſertim ſpirituali, ſeruum libertate donare, tametſi dominus manumittere nollet.* Nam hoc ſolum ex iſto loco iuxta communem Doctorum expoſitionem deduci poteſt, ſpirituales Eccleſiæ Paſtores pro bono fidei, ac religionis, res temporales præcipere * poſſe. Neque tu hunc textum ſuperiùs paulo latiùs expendens, ex eo aliud expiſcari cõtendis, quàm vel ſeruos per baptiſmum à ſeruitute reipſa liberari, quod tamen communi Theologorum ſententiæ aduerſatur; neque Apoſtolũ iſtud declaraſſe vlla ſolida ratione comprobari poteſt, vel penes Eccleſiã eſſe poteſtatem rem temporalem, qualis eſt emancipatio, pro bono ſpirituali imperandi, quod me nunquam inficiatum eſſe ſatis, ſuperque in ſuperioribus demonſtraui. Qua autem de cauſa illud, *præſertim pro bono ſpirituali*, adiunxeris, non ſatis percipio, niſi forſan inſinuare velis, poſſe ſummum Pontificem non ſolum pro ſpirituali, verumetiam pro temporali bono regimini Principum

* Nu. 10. tui libelli.

pum temporali sese immiscere.

51 Ex his igitur iam satis tibi, vt opinor, perspectum esse potest, si vel parumper ad rem intelligendam animum tuum intendas, dimidiatam hanc libelli tui partem, quam aduersus me conscriptam esse amico tuo persuadere velles, nihil prorsus contra meam doctrinam militare, neque quidquam concludere, quod ad præsentem, de qua agitur, difficultatem, de potestate Papali Principes deponendi, & de rebus temporalibus disponendi, enodandam pertineat. Iam ad alterum fundamentum, seu potiùs figmentum tuum examinandum transeamus.

52 *Alterum*, inquis, ° *fundamentum, cui innixus Widdringtonus, Ecclesiæ potestatem ad Principes, qui hostes sunt Ecclesiæ, deponendos impugnat, in hoc positum videtur, quòd reputet secum Iuramentum fidelitatis Principi præstitum esse indispensabile, & non obedire in ciuilibus esse vsque adeo in subdito intrinsecè malum, vt ex nullo honesto fine, aut euentu, vllove in terris imperio possit virtute, ac rectitudine moris insigniri. Atque hinc elicit, non posse puniri Principem damno temporali, quantumuis hæreticum, vel atheum, nisi*

° Nu. 3. tui libelli.

cc *nisi à solo Deo, neque proinde posse Pontificem*
cc *illi adimere imperium in iuratos subditos, vel*
cc *hosce absoluere à vinculo Iuramenti suscepti*
cc *ab ipsis.*

53 Veruntamen, sicut in priori fundamento te turpiter allucinatum esse, & ob falsi crimen non leuem tuæ famæ iacturam feciſſe clariſſimè demonſtraui, ita quoque in hoc ſecundo longiſſimè erras, atque amicum tuum, qui perexiguum eo nomine tibi gratiam debet, in errorem trahere pertentas. Neque enim te, aut alium quemuis quantulacunque eruditione præditum, qui mea ſcripta attentè conſideraverit, latere poteſt, me iſto, quod tu refers, fundamento nequaquam fulciri, dum probare enitor, non eſſe à Card. Bellarmino ſufficienter *demonſtratum*, ſummo Pontifici vllã prorſus ex lege Chriſti competere poteſtatem Principes ſeculares in ordine ad bonum ſpirituale deponendi. Non etenim ex eo, *quòd Iuramentum fidelitatis Principi præſtitum ſit indiſpenſabile*, aut *non obedire in ciuilibus ſit intrinſecè malum*, aut *quòd Princeps pœna temporali à ſolo Deo puniri poſſit*, ego colligo, vt tu ſomnias, non poſſe ſummum Pontificem illi imperium adimere,

aut

aut ſubditos à vinculo fidelitatis abſoluere. Noui optimè, tuque ipſe, ſi meam Apologiam dormitans non perlegeris, vel inuitus confitebere, has duas quæſtiones grauiſſimas de ſupremis Principibus per ſpiritualem ſummi Pontificis auctoritatem, & per temporalem reipublicæ ciuilis poteſtatem ob aliquam cauſam, vel crimen Principatu priuandis, eſſe planè diſparatas, neque vnam ab altera dependentem, ſed diuerſis omnino fundamentis nixas eſſe.

54 Nolui ego in mea pro Iure Principum Apologia has duas quęſtiones, quarum vna Theologica, altera merè philoſophica eſt, ſimul commiſcere, ſed hoc ſolum veritatis exquirendæ gratia oſtendere mihi animus erat, non eſſe vſque adeo *de fide certum*, vt Card. Bellarminus immeritò exiſtimat, Chriſtum Dominum talem deponendi Principes poteſtatem ſummo Pontifici conceſſiſſe, quin contrarium à viris Catholicis, rectéque de fide ſentientibus abſq; graui culpa defendi queat. Poſterioris controuerſiæ philoſophicæ, An ſcilicet reſpublica ciuilis vllam in Principem ſuum ſupremum auctoritatem habeat, diſceptationem de induſtria ſubterfugi, ne aut aduerſario

uersario aliquam præberem ansam quæstiones istas difficillimas confundendi, atque ab vna in alteram pro libito transmigrandi; aut vllam lectoris in mente perturbationē gignerem, dum varijs difficultatibus ad rem, de qua agitur, non pertinentibus implicatus, illam, de qua lis tota existit, controuersiam negligeret, atque ad peregrinas, & de quibus disputatio non instituitur, quæstiones examinandas se totum applicaret.

55 Atque, vt tibi, cuiuisve alteri euidenter appareat, quàm insidiosè, pariter ac iniuriosè in hoc etiam secundo fundamento, quod mihi affingis, me tractaueris, atq; ob falsi etiam culpam in summum existimationis tuæ discrimen temetipsum adduxeris, duo duntaxat loca ex mea Apologia referre libet, quæ tuam inexcusabilem malitiam manifestam reddent.

56 Primus est nu. 211. vbi sic aio: *Respōdemus igitur Card. Bellarminum in eo potissimùm elaborare, vt probet, Principem infidelem, vel hæreticum, si alios pertrahat ad hæresim, vel infidelitatem, posse à populo sibi subiecto Principatu priuari; præsens autem controuersia, quæq; in hac quæstione à Card. Bellarmino*

Bellarmino instituitur, non est, An, & ob quas causas possint Reges à republica temporali deponi, sed solùm, An summus Pontifex habeat auctoritatem iure diuino priuandi Principes suis dominijs. Nam siue respublica temporalis possit suum Principem ob aliquam causam, vel crimen deponere, siue non possit, (quæ quæstio potius ad philosophum moralem, quàm ad Theologum spectat, & aliquid circa eam inconsideratè asseuerare facilem præbere potest tumultibus, rebellionibus, & Regicidijs occasionem, &c.) attamen hinc nullum efficax peti potest argumentum ad probandum summum Pontificem vllam prorsus iure diuino habere potestatē etiam in ordine ad bonum spirituale Principes temporales è suis dominijs exterminandi. Nam dato, sed non concesso, illicitum esse Christianis tolerare Regem hæreticum, vel infidelem, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatem, quomodo tamen hinc rectè deduci potest summum Pontificem habere auctoritatem Principes deponendi?

57 Alter locus est nu. 410. vbi hæc habeo verba. *Atque hinc patet, factum istud Zachariæ Papæ consulentis, & populi deponentis Regem Francorum, nihil omnino fauere*

re

re ſupremo Pontificis dominio in tẽporalibus, & auctoritati Papali Principes inſtituendi, vel deſtituendi, ſed potius populum ſubiectum aliquam ſuper Principem ſuum auctoritatem habere, confirmare videtur. Quæ quæſtio, An ſcilicet penes rempublicam ſit poteſtas Principem ſuum legitimum ob aliquam cauſam, vel crimen è Regni ſolio deijciendi, cum periculoſa admodum ſit, & niſi rectè explicetur, facilè præcipiti populo ad rebelliones, atque Regis idia anſam præbere poſſit, neque præſenti cõtrouerſiæ de poteſtate Pontificis temporali dirimendæ multum conducat, ab ea vlteriùs diſcutienda ſupersedendum eſſe duxi.

58 Dic igitur iam ſodes, an non te pudeat tam impudenter aſſeruiſſe, Widdringtonum ad ſententiam Card. Bellarmini de poteſtate Papali Principes deponendi impugnandam, huic inniti fundamento, quòd Iuramentum fidelitatis Principi præſtitum ſit indiſpenſabile, aut quòd Princeps damno temporali non niſi à ſolo Deo puniri poſſit? Quî fieri poteſt, vt ipſe illud pro fundamento ſumat, quod cum ſtructura, quam conficit, nullam habere connexionem affirmat? Ædificium à fundamento pendere debet, atque ab eo ſuſtentari,

ſtentari, eo proſtrato, totum quod illi innititur, ſtatim corruere neceſſe eſt. At Widdringtonus dat quidem Card. Bellarmino diſputationis gratia, licèt non cõcedat, poſſe rempublicam temporalem ſuum Principem ſupremum in aliquo caſu maximi ponderis Principatu exuere; & conſequenter dat etiam, Iuramentum fidelitatis Principi præſtitum eſſe diſpenſabile, & poſſe interdum Principem temporalem à republica temporali, ac proinde non à ſolo Deo pœnis temporalibus caſtigari. Et nihilominus conſtanter negat, poſſe idcirco euidenter *demonſtrari*, penes rempublicam ſpiritualem, ſiue ſupremum illius Principem eſſe poteſtatem Principem temporalem ob aliquam cauſam, vel crimen pœna temporali coercendi, ſeu illi eius Principatum temporalem adimendi.

59 Et huius diſcriminis rationem ſæpiùs inculcat, quia nimirum Reipublicæ ſpirituali arma ſpiritualia, non temporalia, ſicut reipublicæ temporali arma temporalia aptiſſimè conueniunt. *Multo*, inquit, *maior eſt ratio, quare reſpublica temporalis ad illatam ſibi ab alia Republica temporali iniuriam propellendam poſſit Principem eius deponere*

ponere, immò & occidere, si aliter ius suum tueri non possit, quia Reipublicæ temporalis arma sunt temporalia, & propterea nihil mirum, si vi & armis possit, ac interdum debeat, iniuriam sibi illatam propulsare, etiam vsq; ad depositionẽ, & occisionem ipsius Principis, si aliter se defendere nequeat: At verò reipublicæ Ecclesiasticæ arma sunt spiritualia, & propterea non armis temporalibus, qualia sunt depositio, & occisio Principum, sed spiritualibus tantùm armis illi certandum est.

60 Itaque, tametsi ego eorum sententiam *neque erroris, neque falsitatis, apertè conuinci posse* existimem, qui docent Principes temporales, cum nullum Superiorem præter Deum in rebus temporalibus recognoscant, à solo Deo, & consequenter neque à Pontifice, neque à republica pœnis temporalibus coerceri posse; attamen nolui ego, vt vidisti, opinionem meam in hac controuersia Theologica de temporali Pontificis in Principes potestate fundamento illo philosophico stabilire. Alia ego in mea Apologia fundamenta apposui, quę, si mente syncera agere tibi animus fuisset, euertere debuisses, & non noua quædã ex tuo cerebro confingere, quę impugnares.

nares. In quibus tamen impugnandis, præterquam quòd te frustra defatigas, tum imperitum te, tum imprudentem demonstras. Imperitiam tuam paulo inferiùs detegam, imprudentia nimis apertè se prodit. Quis etenim vel vulgari prudentia præditus tam inconsideratè, hoc præsertim tempore, hocque in loco, (vbi plurimi nostræ religionis aduersarij barbaris, proh dolor, & planè irreligiosis quorundam Catholicorum coniurationibus commoti religionem Catholicam à proditione vix discernunt,) ad potestatem Papalem Principes supremos deponendi sustentandam tam periculosa, nulla necessitate coactus, sibi deligeret fundamenta, (vt, quòd *Sacerdotes vnà cum populo teneantur in armis consistere aduersus Principem illis sub pœna capitis iniustè imperantem*, quòd *Princeps hæreticus, aut Atheus, si alios ad hæresim, aut infidelitatem inducat, statim ante omnem sententiam Iudicis declaratoriam omni potestate, ac dignitate excidat*; quòd *temporalia Principum, & obedientia subditorum summi Pontificis dispositioni pro maiori Dei gloria subijciantur*) quæ tum effrænato populo apertam ad rebelliones, & Regicidia

viam muniant, tum ad controuerſiam, de qua agitur, dirimendam, aut parum, aut nihil prorſus conducant.

62 Si tam ardenti deſiderio aduerſus ſupremam in temporalibus Principum poteſtatem dimicandi deſiderio exæſtuas, vt eos cum Philopatro populorum caſtigationibus etiam ante ſententiam ſummi Pontificis declaratoriam ſubijcere non reformides, non erat, quòd me, qui tale certamen ob cauſas antedictas ex inſtituto declinaui, ad pugnam prouocares. Facile tibi erat aduerſarium reperire, cum quo concertares, doctiſſimum nempe, pariter ac elegantem Guilielmi Barclaij contra Monarchomachos librum. Illi, ſi iſtiuſmodi pugna te delectat, bellum indicas, & ſi poteris, ad terram vſque proſternas. Sed credo equidem, & certò mihi perſuadeo, tibi, cum Athleta tam ſtrenuo, tamque experto, congrediendi & artem, & arma, vireſque deeſſe. Non eſſe te admodum in hoc certandi genere exercitatum, ſcripta hæc tua Theologica, ſed viro Theologo vtique indigna, quibus meam Apologiam te profligaſſe putas, atque in putidiſſimum hæreſeos, ac Ethniciſmi abyſſum eam ieciſſe

iecisse opinaris, nimis luculentum testimonium perhibent.

63 Ex his igitur, quæ de tuo libello aduersum me conscripto, ita generatim annotaui, iam tandem, vt opinor, persentiscis, quàm futilis sit iste tuus discursus, qui in confutandis non meæ doctrinæ fundamentis, sed fictitijs tui cerebri inuentis totus insumitur. Superest duntaxat, vt speciatim quoque tibi ostendam, quàm imperitè, simul ac seditiosè secundum istud fundamentum à te mihi falsò impositum impugnare contendas. Vt autem solidè, ac more Scholastico agere videaris, tria inprimis præludia, tanquam inconcussa tui discursus fundamenta præmittis, ex quibus deinde insolubile, *scilicet*, tuo solo iudicio argumentum in forma syllogistica concludere arbitraris.

64 *Tria*, inquis, [q] *quantum ad hoc secundum membrum distinguenda sunt. Primo consideranda qualitas, & conditio subditi, cui incumbit officium obediendi, quæ quidem non est, vt obediat despoticè, hoc est, iure mancipij, sed ciuiliter, vti admonet Aristoteles, veluti ciuem, & liberum decet. Secundo in consideratione venit ipsa obedientia,*

[q] Nu. 15. tui libelli.

cc quantum ad eius partes, obiecta, & finem.
cc Partes obedientiæ ciuilis sunt duæ, vtpote
cc actum aliquem externum exercere vi legis
cc præcipientis, & quosdam actus externos omit-
cc tere vi legis prohibentis. Obiecta huius obe-
cc dientiæ sunt res temporales, vtpote dominia,
cc pecuniæ, possessiones, corpora, eaque omnia
cc externa sensu perceptibilia, quæ inseruire pos-
cc sunt bono Reipublicæ. Finis huius obedientiæ
cc cernitur in emolumentis huius mundi iuste
cc acquisitis, & possessis, ac bonis moribus
cc vsui applicatis ad communem pacem, & tran-
cc quillitatem.

cc 65 Sciendum tamen est, obedientiam
cc in ciuilibus genere suo bonam posse ex circum-
cc stantijs, maximè ex malo euentu euadere ma-
cc lam, & scandalosam. Vnde fit etiam opera
cc virtutum, aut vsum rei legitimum deprauari,
cc & esse illicita, & scandalosa vi secuturi inde
cc scandali, nempe inde alijs, eorum concurrente
cc infirmitate, data causa damni, & ruinæ spi-
cc ritualis. Atque hinc Apostolus Paulus affir-
cc mat, se non manducaturum carnes in æter-
cc num, si eo frater esset scandalum passurus.
cc Constituendus est itaque præ oculis casus, in
cc quo ciuilis obedientia est scandalosa prudē-
cc tum indicio, & reipsa, vtpote certa destructio

finis

finis ciuilis & spiritualis per vitia, hæreses, aut infidelitatem: veluti si Princeps obedientiam subditorum adhiberet vti medium exterminandi eos, hæresibus polluendi, & priuandi sacris medys necessarys ad salutem animarum ipsorum.

66 Tertio loco Rex ipse intuendus habens à Deo etiam immediatè potestatem imperandi, prohibendi, puniendi, præmiandi, ac leges condendi; atque quantum ad ista Dei in se maximam similitudinẽ in terris exhibens. Duo tamen sunt, quæ huc spectant: primũ, Regem non accepisse à Deo, vel à Republica potestatem aliquam imperandi contra finem politicum, multo minùs contra finem Euangelij, & Ecclesiæ, eo quòd iuxta sententiam Apostoli Deus nemini concessit potestatem ad destruendum bonum. Alterum, quamuis ad Principem ciuilem non attinet virtute præcepti affirmatiui per suas leges procurare bonum spirituale, eo quòd non sit Pastor in Ecclesia, sed ouis; iure naturali tamen, & diuino ad negatiuum tenetur, hoc est, nunquam leges condere in temporalibus, aut præcipere obedientiam ciuilem, quæ causa sint scandali, & damni in spiritualibus; quod si aliquando cum scandalo, & damno spirituali præstiterit, imperando non

cc *operatur vt potestatem habens à Deo, aut Re-*
cc *publica, quia non est ipsi licentia concessa ad*
cc *peccandum, vel destruendum. Talis potestas*
cc *condendi leges, & iubendi obedientiam ci-*
cc *uilem est duntaxat nomine tenus potestas,*
cc *reipsa vana, & nulla, eo quòd nulla sit po-*
cc *testas nisi à Deo. Instituo itaque hoc argu-*
cc *mentum, &c.*

67 Hæc tu, vt obedientiam ciuilem iure diuino Principibus secularibus in rebus licitis exhibendam scandalosam esse probes, nimis scandalosè præfaris. Sed collige te parumper bone vir, ac tecum, quæ tam temerè scriptitasti, considerate recogita. Nisi enim prudentis consilij planè expers extitisses, tu Regum omnium salutem, siue Religionem Catholicam, siue hæresim, aut infidelitatem profitentur, in tanta discrimina conijcere exhorruisses.

Atque, vt à secundo tuo præludio initium sumam, (nam primum tibi lubens concedo) ais, *obedientiam ciuilem ex genere suo bonam ratione mali euentus, & scandali ex mala Principis intentione inde secuturi reddi malam, & scandalosam.* vt hinc concludas, posse summum Pontificem subditis inhibere,

bere, ne obedientiam ciuilem Principibus hæreticis exhibeant, & consequenter posse talibus Principibus imperium in subditos adimere, & subditos ab obedientia ciuili aliàs iure naturali debita liberare.

68 Igitur iuxta hanc tuam doctrinam obedire Principi hæretico in rebus alioquin licitis, si subditos ad hæresim pertrahere conatur, ideo malum est, atque illicitum, non quia per præceptum aliquod positiuum Pontificis, aut Reipublicæ prohibetur, sed quoniam ante omnem Pontificis, aut Reipublicæ prohibitionem talis obedientia ciuilis est omnino scandalosa, & proinde ipso naturali iure subditis interdicta; adeo vt tu cum Philopatro sentire videaris, neque Pontificem, neque Rempublicam vllum Principem hæreticum, si alios à fide Catholica auocare voluerit, verè deponere, seu imperandi potestatem illi adimere, sed talem Principem ante omnẽ Pontificis, aut Reipublicæ declarationem esse ipsa lege naturali, ratione scandali ex obedientia præstanda sequuturi, omni imperandi potestate priuatum.

69 Attende iam, & tremens animaduerte, in quanta pericula tam Reges, quàm

subditos præcipitare non contremiscis. Princeps hæreticus, aut infidelis, si subditos ad suam hæresim, aut infidelitatem pertrahere conatur, (præterquam quòd, ex tua doctrina superiùs [r] tradita, *Sacerdotes vnà cum populo in sui defensionem arma aduersus eum corripere teneantur*,) est eo ipso, vt tu iam ais, imperandi potestate priuatus; ergo iam Princeps esse desijt, & Tyrannus euasit, non solùm eiusmodi, qui Regnum iniquè, & tyrannicè gubernat, sed qui omni imperandi potestate exutus, regnandi munus in summam veri hæredis iniuriam illegitimè vsurpat. Constat autem apud omnes Theologos, teneri populum, si vires illis suppetant, huiusmodi Tyrannum de Regni solio quantocyùs dimouere, *& si eum è throno pellendi vires desint, an illum interficiendi libera cuiuis licentia concedatur, quid præclari Theologi [s] de hac re sentiant, tu, qui Theologiæ Doctor es, vix ignorare potes.

70 Nunc autem, vtrum Principes Catholicos, qui subditos ad veram religionem toto conatu pertrahere nituntur, tu-

[r] Nu. 30. & seq.

* Nam, *vt rectè ait Aragona* 2.2.q.64. ar.3. illi qui solùm sunt Tyranni in modo regendi, habent verum ius ad regnum, ergo non sunt illo priuandi, quo adusque à Superiore condemnentur. Si autem non habuerint Superiorem, inuocandus est Deus, qui est adiutor in opportunitatibus, quique propter peccata populi permittit sæpe sæpiùs tyrannos regnare.

[s] S. Thom. in. 2. sent. d.44.q. 2. ar. 2. Caiet. 2.2.q.64. ar 3. Bannes, Aragon. Salon. ibidem. Sylu. verbo tyran. Tol. lib. 5. cap. 6. Sa in Aphorism. Coloniæ editis 1610. verbo tyrannus. nu. 2. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 4. & alij.

tiori

tiori in loco colloces, videamus.

Nosti optimè, & neminem latere potest, Iudæos, hæreticos, paganos, non tam prauo voluntatis affectu motos, quàm cæco intellectus errore persuasos in religione, quam colunt, plærunq; permanere, quam veram esse cum sibi certò persuadeant, potiùs vitam deperdent, quàm ab ea diuelli vllatenus permittent. Istos igitur iuxta hæc noua tuæ Theologiæ principia credere necesse est, obedientiam ciuilem Principibus Catholicis præstandam malam esse, & scandalosam, quamdiu tota cura, cogitationéque in religionem Catholicam, quam infideles, atque hæretici falsam, & Antichristianam esse opinantur, exaltandam incumbunt. Ex quo consequitur, vt illi hos Principes Catholicos omni imperandi in rebus ciuilibus potestate excidisse existimare debeant, quin & arma aduersus eos corripere, illoſque in rebus etiam licitis non obedire teneantur, si obedientiam ciuilem vti medium ad veram Christi religionem dilatandam, & hæreses extirpandas adhibere apud se firmiter statuant, atque proponant. Quo fit, vt Principes Catholici aduersus hæreticorum, aliorumq; infidelium

infidelium ſibi ſubditorum impetitiones, quamdiu in ſua hæreſi, aut infidelitate perſiſtunt, nulla prorſus via ex tuis principijs ſecuri reddi queant, cum nullus, ſi tuis paradoxis credere velimus, vel Iudæus, vel hæreticus, vel infidelis eſſe poſſit, quin ſimul Principi ſuo Catholico, qui religionem Catholicam exaltare ſtudet, proditor neceſſariò exiſtat.

71 Quanta autem pericula priuatis ſubditis hæc tua doctrina faceſſit, nimis apertum eſt. Cum enim obedientiam ciuilem ſcandaloſam eſſe velis, & proinde iure naturali ſubditis prohibitam, dummodò Princeps malè affectus ea ad veram religionem euertendam abuti intendat; tenentur ſubditi non ſolùm, ſi commodè poſſint, arma capeſſere, verùm etiam potiùs mortem eligere, quàm tali Principi etiam iuſta imperanti obedire. Nam *graueſſimè*, vt paulo inferiùs * ais, *ſtante hoc ſcandalo ſubditi peccarent contra fidem, religionem, charitatem, obedientes in temporalibus.* Atque ita non ſolùm Principes, & ſubditos in laqueos inextricabiles inijcis, verùm etiam inſulſè admodùm in ius vocare non erubeſcis Sanctorum illorum innocentiam, qui

* Nu. 16. tui l. prope finem.

qui ſub immaniſſimis Chriſtianæ religionis perſequutoribus, quiq́ue toto conatu eam euertere ſatagebant, degentes, eorum tamen imperium in rebus alioquin licitis nullatenus detrectabant, vt multis ſanctorum Patrum teſtimonijs fuſiùs [f] in mea Apologia commonſtraui. Vides itaque in quantas anguſtias tum Principes, tum ſubditos, tum maximè temetipſum (qui quonam iure iuxta hanc tuam doctrinam te Principi noſtro Sereniſſimo, & contrariam tibi religionem profitenti fideliſſimè ſubditum inferiùs appelles, [t] tumetipſe videris) hac tua nimia dicendi licentia nimis imprudenter adducere non reformidas.

[f] Nu. 284. & ſeq.

[t] In poſtremis termè tui libelli verbis.

72 Iam, quàm inſcitè notiſſimis Theologiæ principijs, ad pernicioſa hæc tua dogmata ſtabilienda abuſus fueris, animum diligenter attende.

Atque inprimis apud omnes * Theologos, & iuriſperitos pro regula generali receptiſſimum eſt, finem legis, aut præcepti, ſub lege aut præcepto non cadere. Et ne æquiuocationes, & ambigua me venari crimineris, meminiſſe te oportet, duplicem finem, quod ad preſens inſtitutum ſpectat, in

* *Finis, vt omnes dicunt, non cadit ſub præcepto, quod eſt iam de fine proprio illius operis omnes intelligunt.* Salas d. p. 9. ſec. 1. ad 3. nu. 16.

in qualibet lege distinguendum esse, vnum intrinsecum, ac substantialem, quippe ad substantiam ipsius legis, vel præcepti pertinentem, estque totum illud, quod lex præcipere, aut prohibere intendit, quicquid verba legis exteriùs sonare videantur. Et de hoc fine nos in presenti non loquimur. Certum enim est [u] eum, qui contra talem finem agit, tametsi verba legis ad amussim obseruet, legis tamen præuaricatorem esse, vt patet ex leg. Non dubium, Cod. de legibus. *Non dubium est*, inquit, *in legem committere, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem.* Et ex leg. contra ff. de legibus, *Fraudem facit legi qui saluis verbis legis mentem eius circumuenit*; vt verbi gratia, præcipit lex, [x] ne filij spurij, qui ex coitu secundum leges damnabili procreantur, in paterna hæreditate succedant, si pater relinquat amico bona sua sub conditione, vt ea det filio, legis mẽtem circumuenit, & transgressor legis censendus est.

u Sot. l. 1. de Iust. q. 6. ar. 8 Medina 1, 2. q. 92. ar. 2. Sayrus in clauc Regia l. 3. c. 9. nu. 38. Salas dsp. 11. sec 5.

x Auth. quibus modis filij efficiantur legitimi §. finali.

73 Sunt alij fines legum quasi extrinseci, & rei, quam lex præcipere intendit magis accidentarij, partim communes omnibus, vt quòd lex communi bono prospi-

cere

cere debeat, & vt homines virtutes amplecti, & vitia detestari faciat; quælibet enim lex materiam, quam præcipit, in aliqua specie virtutis constituere intendit: partim singularum proprij, vt lex ieiunij carnem rebellem edomare, eiusque effrænatos impetus reprimere intendit. Et qui contra hos secundi generis fines operatur, dummodo legis substantiam non violet, sed rem ipsam, quæ præcipitur, adimpleat, is contra legem committere minimè reputatur. Ideo si *quis eo modo ieiunet, vt carnis impetus non solum non reprimat, y sed etiam excitet, legem ieiunij nequaquam transgreditur.* y Salas disp. 11. sec. 5.

74 Neque necesse est, vt ex amore boni publici, quod lex humana præcipuè intendit, legem quis obseruet, aut actiones virtutum lege præceptas ex affectu virtutis exerceat. Vnde qui rem iniustè ablatam non ex affectu iustitiæ, sed ob alium finem prauum restituit, præceptum de non detinendo alieno adimplet, & rem quidem iustam operatur, licet neque iustè, neque laudatè, vt docet Aristoteles, [z] agere censeatur. Constat enim [a] *opere ex malo fine, aut mala circumstantia, alias malo, in quo substantia eius, quod præcipitur, saluetur, præcep-*

z 2. Ethic. c. 4.
a S. Tho. 1. 2. q. 100. ar. 9. Medina ibid. Vasquez disp. 92. c. 2. Valent disp. 7. q. 2. / puncto 2. Salas disp. 3. sect. 1. ad 3.

tis

tis affirmatiuis ſatisfieri poſſe.

75 Si autem finem ipſius legis, ſeu præcepti, ſub præcepto non cadere indubitatum eſt, multò profectò certius eſſe debet, intentionem legiſlatoris, finemque ſiue bonum, ſiue malum, quem apud ſe proponit, cum ad legis, ſeu præcepti ſubſtantiam omnino impertinens exiſtat, ad legis iuſtitiam, vel firmandam, vel infirmandam nihil prorſus conducere. Nam tametſi Princeps ſua lege rem iuſtam, bonoque publico accommodatam præcipiat, non tamen boni publici, aut honeſtatis intuitu, ſed vt propriis cupiditatibus turpiter deſeruiat, an idcirco audes tu aſſerere, legem illam ob malam Principis intentionem reddi iniuſtam, & nequaquam à ſubditis obſeruandam eſſe?

76 Audi quid de hac re ſcribat doctiſſimus Vaſquez communem Doctorum omnium [b] opinionem ſequutus; *Finis*, inquit, *mouens legiſlatorem, non nocet conſtitutioni, vel legi, quando alioquin id, quod ipſa præcipit, commune eſt, & communi bono conſentaneum. Pro iuſtitia enim legis non debemus reſpicere animum legiſlatoris, ſed materiam, quam præcipit; quia ſubditi non debent*

[b] 1.2.q.151. c.3.nu.13.

ſequi

ſequi animum (neque enim animus per talem legem proponitur,) ſed ſequi debent id, quod præcipitur. De aliorum quoque inferioris ordinis Superiorum præceptis res æquè explorata eſt, vt conſtat in famulis fæneratorum, meretricum, & ſimilium, qui obſequia domeſtica dominis præſtare debent, tametſi ſciant, ea ſibi à dominis ob turpem finem imperata eſſe.

77 Vides itaque ad iuſtitiam legis, ſiue præcepti nihil prorſus referre, qua intẽtione Princeps aliquid præcipiat, dummodò res, quæ præcipitur, alioquin bona ſit, & nulla deformitate vitietur: & propterea cum obedientia ciuilis in rebus alioquin honeſtis non ſolùm bona, ſed lege etiam naturali præcepta ſit, non poteſt pro ſola Principis voluntate, qui ea ad malum finem abuti intendit, deprauari. Eſt igitur planè fictitius caſus ille tuus, in quo *ciuilem obedientiam* fingis eſſe *ſcandaloſam prudentum iudicio, & reipſa, vtpote certam deſtructionem finis ciuilis per vitia, hæreſes, aut infidelitatem; veluti ſi Princeps obedientiam ſubditorum adhiberet vtì medium exterminandi eos, hæreſibuſq; polluendi.* Prauus enim Principis animus, qui malè affectus legem

gem ob vitiosum finem condit, illius obligationem nequaquam tollit, si res, quæ præcipitur alioquin bona sit, & communi bono consentanea, & peruersa eius intentio sibimetipsi scandalum quidem, ac ruinam spiritualem affert, sed subdito, qui syncerè & non ob talem finem vitiosum obtemperat, nullatenus obesse potest.

78 Neque scandalosa potest esse aut reipsa, aut prudentum iudicio obedientia subditi, qui legi iustæ ex legis naturalis præscripto obtemperat, quin potiùs non obedire Principi iusta imperanti esset maximè scandalosum, & legi tum diuinæ, tum naturali dissentaneum. Quòd si tu scandali naturam rectè expendisses, quæ solùm in dicto, aut facto minùs recto consistit, quæque in operibus iure naturali præceptis reperiri non potest, [c] nequaquam ita temerè, indoctè, seditiosè, ac scandalosè asseruisses, obedientiã ciuilem, quam in rebus licitis ius naturæ subditis præscribit, ex mala Principis intentione scandalosam reddi.

[c] S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 7. & alij omnes agentes de scandalo.

79 Atque hinc perspicuum est, quàm insufficiens sit ratio illa tua ex fine desumpta, quam inferiùs [d] adducis ad probandum, obedientiam ciuilem, & leges

[d] Nu. 18. tui libelli circa finem.

Principum

Principum ex mala Principum intentione malas, & scandalosas reddi, & consequenter summi Pontificis auctoritati subiectas esse. Ita enim arguis: *Obedientia ciuilis, & leges Principum in casu ruinæ, & scandali, non sunt res temporales nisi materialiter, moraliter enim ex fine, & euentu sunt res spirituales, ergo si fide constat, spiritualia subiecta Pontificis auctoritati, etiam & temporalia modo explicato. Antecedens probatur: Vnaquæque res talis est, qualis eiusdem finis, vt habet regula Iuris, sed actus temporales, & ciuiles subditorum, atque Principum, vt sunt nonnunquam conductiui ad bonum virtutis, ita nonnunquam auocatiui ab eodem bono, ergo speciem sumunt à virtutibus, & vitijs, & qualitatem spiritualem ab illis desumunt.*

80 Hæc tua ratio potissimùm innititur Topico illi axiomati, quod idem planè est cũ ista *Maxima*, vt Dialectici loquuntur, quã S. Thom. ex Boethio * recensẽt: *Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonũ est, & cuius finis malus est, ipsum quoq; malũ est.* Veruntamen, nũ, obsecro, ignoras, regulas generales vt plurimùm multas pati exceptiones, & axiomata Topica, vt vera sint, nonnullas limitationes plærunque requirere. *Vnaquæ-*

c 1.2.q.18. ar. 4. * in Topicis.

que res, inquis, *talis est, qualis eiusdem finis*; ergo qui furatur, vt det eleëmosynam, & qui peierat, vt innocentem à morte liberet, qui fines boni sunt, opera bona exercent, cum tamen manifesta sint diuina eloquia, f quæ docent, *non esse facienda mala, vt inde bona proueneniant*: quod licet satis sit ad regulam illam generalem, & rationem tuam, quæ in illa fundatur, euertendam, vt tamen omnis tollatur ambiguitas, regulam illam paulo clariùs explicabo.

f Rom. 3.

81 Scias itaque primò, in qualibet actione morali duplicem finem considerari posse, vnum proprium, seu proximum ipsius actionis, quique habet rationem obiecti; & alterum remotum, qui ex voluntate operantis actioni adiungitur: vt cum quis occidit propter furtum, finis proximus, qui est obiectum, est homicidium; remotus autem, qui ex voluntate operantis adiungitur, est furtum. Itaque regulam illam generalem, vt in vniuersum vera sit, intelligunt Theologi * de fine proprio ipsius operis, & non de fine adiecto ex intentione operantis; ita vt actio, quæ huiusmodi habeat finem bonum, sit semper ex se, seu ex obiecto suo bona, tametsi aliunde, nempe

* In 1.2.q. 18. ar. 4. vbi Medina & Vasquez.

nempe ex circumſtantia, & ex malo fine operantis mala reddi poſſit: vt qui ieiunat ob inanem gloriam, opus quidem bonum, quantum eſt ex genere ſuo, ſeu ex obiecto, & fine proprio ipſius operis exercet, tametſi illud, ratione mali finis adiuncti, ſit ſimpliciter, & in indiuiduo vitioſum. Si autem de fine operantis loqui velimus, certiſſimum eſt, actionem illam, quæ ex obiecto, ſeu proprio fine operis mala eſt, ratione honeſti finis ab operante adiuncti non effici bonam, vt patet in exemplo allato de furando ad dandam eleëmoſynam, cum *bonum*, vt docet S. Dionyſius, g *ex integra cauſa conſurgat, malum autem ex quocunq; defectu oriatur.*

g 4. *cap. de diuinom.* cuius ſententia in hac parte *ait Vaſq. 1. 2. diſp. 70. cap. 2.* omnibus Theologis probata eſt.

82 Scias ſecundò, finem operationis, cum ſit id, cuius gratia operamur, duplicem reſpectum neceſſariò includere, vnum ad ipſam operationem, alterum ad operantem: & proinde non poteſt finis eſſe cauſa, aut circumſtantia alicuius actionis, niſi prout habitudinem dicit ad agentem, qui talem ſuæ actionis finem præſtituit. Quo fit, vt idem opus indiuiduum, quatenus à diuerſis hominibus procedit, poſſit propter diuerſos fines operantium ſimul

bonum, & malum esse: vt eadem eleëmosyna, si ab hero ad inanem gloriam pauperi tribuatur, mala erit, si autem à famulo ex affectu obedientiæ pauperi porrigatur, erit procul dubio actio bona, & meritò commendanda. Similiter, si ancilla iussu dominæ sternat lectum, vt obsequium debitum illi exhibeat, opus laudabile efficit, tametsi sciat dominam illud ob malum finem præcepisse, & sua obedientia tanquam medio ad delinquendum abusuram esse.

83 *Finis etenim*, vt rectè ait Vasquez, h 1.2.disp. 70. cap.4. h *ex quo vnus operatur, non est circumstantia operis, prout ab alio procedit. Circumstantiæ enim actionum respectu eiusdem operantis desumi debent, & ita bonitati operis, prout procedit, ab vno operante, non nocet malus finis, ex quo alius idem opus operatur.* Ex his argumenti tui imbecillitas euidenter apparet. Obedientia enim ciuilis in rebus alioquin licitis, tametsi à Principe ob malum finem imperetur, & ita ex intentione ipsius mala sit, & ad malum conducat, non tamen propterea mala est, vt à subdito obtemperante procedit, qui talem finem non apponit, sed abstrahens ab omni fine malo iustũ

sui

sui Principis imperium exequi intendit. Atque hæc de secundo tuo præludio dicta sufficiant.

84 Quod ad tertium attinet, in quo asseris primò, *Regem non accepisse à Deo potestatem imperandi contra finem politicum, Euangelicum, & naturæ*, verum quidem est, si verba, eo modo quo sonant, rectè intelligantur. Lex enim iusta, quæ sola Principis imperio subijcitur, iuri naturali, aut diuino repugnare minimè potest, & propterea nullam potestatem rem iniustam imperandi lex naturalis, aut diuina Principi concedit. Sin autem velis, legem, quæ rem alioquin iustam præcipit, ex sola Principis intentione reddi iniustam, si ipse nimirum ea contra finem politicum, aut Euangelicum malè vti intendat, concordi Theologorum omnium sententiæ, nulli solidæ rationi innixus immeritò refragaris.

85 Quod autem secundo loco ais, *ad Principem ciuilem non attinere virtute præcepti affirmatiui per suas leges procurare bonum spirituale, eo quòd non sit Pastor in Ecclesia, sed ouis*, hoc neque verè, neque cum vniuersali Christianorum Principũ praxi, neque cum Sanctorum Patrum, ac Con-

ciliorum doctrina, neque cum Scripturæ ſacræ teſtimonio conſentaneè à te prolatum eſt. Fateor Principes Chriſtianos non eſſe ſpirituales Eccleſiæ Paſtores, ſed oues ſupremo Eccleſiæ Paſtori in ſpiritualibus ſubiectas, ſed ſimul etiã eos eſſe à Chriſto Domino Eccleſiæ ſanctæ Nutritios, & Protectores conſtitutos, nemo Catholicorum inficiari poteſt. Ad eos quidem non pertinet bonum ſpirituale per media ſpiritualia, quæ Paſtoribus ſpiritualibus ſolùm conueniunt, promouere; ſed Eccleſiam protegere, hæreſes extirpare, atque vitia per leges ciuiles, pœnaſque temporales cohibere illis ex officio incumbere adeò manifeſtum eſt, vt tu illud abſque ſumma temeritate ne quid grauius dicam, pernegare non poſſis.

86 His igitur circa tua præludia obſeruatis, nunc, quàm præclarũ, *ſcilicet*, inſtituas argumentum, paucis examinemus. *Spectat*, inquis,[i] *ad ſummum Pontificem, vt Pontifex eſt, ſicut præſcribere virtutum actus, ita prohibere peccata, & ſcandala, quæ poteſt; ſed in caſu noſtro ciuilis obedientia, ſeu obedientia in temporalibus, interdum vitioſa eſt, ſcandaloſa eſt, ergo prohiberi poteſt, & interdici à ſummo*

i Nu. 16. tui libelli.

summo Pontifice.

87 Veruntamen minorem tuam propositionem falsissimam esse iam suprà ostẽdimus. Constat enim obedientiam ciuilem, quæ in rebus licitis Principibus secularibus iure diuino, & naturali exhibenda est, ex ruina spirituali, aut malo euentu, quem Princeps intendit, verè scandalosam effici non posse; siquidem res illa, quæ sub legis naturalis præcepto cadit, nulla vera dati scandali occasio esse potest.[k] Et si ad vitandum scandalum, in rebus, quæ nobis solùm consuluntur, non semper iuri nostro cedere tenemur, vt plærique Theologi[l] affirmant, atque ad illud confirmandum adducunt exemplum mulieris, cui licitum est decenter se ornare, & domo honesta de causa exire, tametsi sciat ab aliquo lasciuè concupiscendam, quanto magis actiones, quas ius naturæ faciendas præscribat, qualis est obedire Principi iusta imperanti ob scandalum prætermittere minimè obligamur?

k S. Thom. 2. 2. q. 43. ar. 7. Caiet ibidem & alij omnes tractantes de scandalo.

l Nauarrus in sum c. 23. nu. 18. Silu. verbo ornatus q 4. Caiet. 2. 2. q. 169. ar. 2. ad 5. dub. Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 18. q. 11. & alij.

88 Probationem maioris tuæ propositionis, quam tibi gratis concedo, repentina admiratio interrumpit. *Animum*, inquis,[m] *cogitatem de probatione maioris subit admiratio,*

m eodem. nu. 16.

cc *admiratio, dum mecum repeto, quonam ſpiri-*
cc *tu à quibuſdã inuehitur hodierna die in ſum-*
cc *mum Pontificem, quòd ſibi vendicet auctori-*
cc *tatem diſpenſandi cum Principum ſubditis*
cc *quantum ad ipſorum obedientiam ciuilem iu-*
cc *ramento promiſſam, cum hæc ipſa auctoritas*
cc *nihil aliud ſit quàm poteſtas exterminandi vi-*
cc *tia, proſcribendi ſcandala, ſeruandi Eccleſiam,*
cc *propagandi virtutes, liberandi hominum infi-*
cc *nita millia ab æterna damnatione, ac in cœlum*
cc *transferendi.*

89 Admiratio, vt docet Ariſtoteles, [n] ex ignorantia procedit, cum ſcilicet, quis effectum aliquem manifeſtum intuetur, illius tamen cauſam ignorat. Et quoniam quod vni ignotum eſt, alteri cognitum eſſe poteſt, idcirco quod vni mirum eſt, alius neutiquam admiratur: ſicut Eclipſim Solis miratur ruſticus, de quo tamen Aſtrologus nulla admiratione afficitur. Multi inter Catholicos, ex ijſque viri pij, ac eruditi inficiantur, penes ſummum Pontificem eſſe auctoritatem diſpenſandi cum Principum ſubditis, quantum ad ipſorum obedientiam ciuilem iuramento promiſſam, Et ego quoque hanc eorum opinionem *tanquam veritati Catholicæ minimè repugnantem*

n 1. Metaph. cap. 2.

pugnantem in mea Apologia contra Card. Bellarminum defendendam ſuſcepi: tu autem obſtupeſcis, quo ſpiritu iſti ad talem poteſtatem pernegandam ferantur, cum ſit tuo iudicio ipſiſſima *poteſtas propagandi virtutes, Eccleſiam ſeruandi, proſcribendi ſcandala, & hæreſes exterminandi.* Et ego etiam non ſatis admiror, atque in hoc ignorantiam meam lubens agnoſco, quinam ſpiritus te, qui Doctor es, & alios Theologiam docere profiteris, inuaſit, vt aut videre non valeas, aut fateri non velis, eos, qui talem auctoritatem *eſſe rem de fide certam, aut vt dogma fidei amplectendam* pernegant, ſeptiformis cœleſtis ſpiritus afflatu, nempe *ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, ſpiritu conſilij, & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritu timoris Domini impulſos eſſe.*

90 Quod ſanè clariſſimè tibi conſtare potuiſſet, ſi meam Apologiam oculo vigilanti, atque ſyncero ſpiritu perlegiſſes. Sacra enim eloquia diuino afflata ſpiritu admonent, ſublimioribus poteſtatibus ita ſubditos nos eſſe oportere, vt vtramque, tam temporalem, quàm ſpiritualem debito honore proſequamur, neque *ſapientiæ, ſcientiæ*

ſcientiæ, intellectus, rectique conſilij, quæ dona ſunt Spiritus ſancti, modum excedentes, immoderato *pietatis* zelo ita vnam efferamus, vt alteram per ſummam iniuriam deprimamus, ſed vnicuiq; quod ſuum eſt, ob *Dei timorem*, & *pietatis* zelum, alacriter, & *animoſè* tribuentes, *Cæſari reddamus, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo.*

91 Illud autem, quod affirmas, hanc Pontificis auctoritatē abſoluendi ſubditos à vinculo fidelitatis, nihil aliud eſſe, quàm *poteſtatem propagandi virtutes, vitia exterminandi*, &c. eſt res ipſa, quę in cōtrouerſia verſatur, & proinde dum ipſam quæſtionē pro medio tuæ argumentationis aſſumis, in vitium illud delaberis, qnod à Dialecticis petitio principij nuncupatur. Fateor equidem Summo Pontifici competere poteſtatem vitia extirpandi, virtutes propagandi, Eccleſiam protegendi, & homines ad regnum cœlorum, qui eſt vltimus finis noſter, perducendi, ſed ſpiritualem, non temporalem, & ad certa tantùm media, atque à Chriſto definita coarctatam. Quòd autem depoſitio, aut occiſio Principum ſit medium à Chriſto inſtitutum, & ſpirituali poteſtati communicatum ad vitia extirpanda

panda, & virtutes propagandas, non esse adhuc à Card. Bellarmino *sufficienter demonstratum*, toties ego in mea Apologia inculcaui, vt nisi semper in circulo circumferri te delectaret, nequaquam pro concesso illud arriperes, in quo totius difficultatis cardinem verti est exploratum.

92 Dispensare cum subditis, seu eos absoluere à vinculo fidelitatis, nullam prohibitionem, nullumve præceptum concludit, & propterea ex eo quòd *Pontificis munus sit virtutes præcipere, & vitia prohibere*, quæ est maior tua propositio, & ab omnibus concessa, non rectè concludis, *Pontificem fidelitatis vinculum relaxare posse.* Non potest Pontifex subditis præcipere, ne Principi suo legitimo in rebus licitis obediant, nisi priùs à vinculo subiectionis liberentur, neque à debita obedientia absolui possunt subditi, nisi Princeps imperio exuatur, cum, vt optimè docet Card. Bellarminus,[o] *negare Principi obedientiam, dũ Princeps est, iuri diuino apertè aduersetur.* Huc igitur totas ingenij tui vires intendere oportet, vt demonstres, penes Pastorem spiritualem esse auctoritatem Principes temporales suis Principatibus abdicandi.

[o] In tractat. contra Barclaium cap. 21. pag. 202.

Nisi

Nisi enim istud firmiter probaueris, nihil proficies, sed incassum laborabis, & dum recto tramite ad meam pro Iure Principum Apologiam impugnandam contendere opinaris, inanes te gyros agere, & spiritu volubili in cicuitu ambulare tandem deprehendes.

93 Sed maiori tua propositione prætermissa minorem sic confirmas: P *Minor probatur euidentia, quando Princeps suis fauoribus præficit hæreticos alijs, priuatq; pios omni loco, & auctoritate in Republica, quando præcipit subditis dare pecunias suas Turcis, seipsos interficere, &c.*

P Eodem nu. 16.

94 Attamen num forsan obliuiscaris te antea locutum esse de obedientia in rebus alioquin licitis, & de præcepto, quod non ex materia quæ præcipitur, sed ex mala Principis intentione, maloque euentu inde sequuturo redditur vitiosum, hîc autem de actionibus ex suo genere illicitis sermonem instituis? Si *Princeps suis fauoribus præficeret hæreticos alijs, priuaretq; pios omni loco, & auctoritate in republica, si mandaret subditis dare pecunias suas Turcis, vel eas proijcere in mare, faces adibus subdere, seipsos interficere* (sunt enim hæc omnia exempla

empla à te ſuppoſita) peccaret quidem Princeps huiuſmodi res iniuſtas præcipiens, & inter Principes (bonos nimirum) vt tu ex S. Gregorio refers, habendus non eſſet, neque ſubditi in eiuſmodi illicitis illi parere tenerentur.

95 Sed quid tum poſtea? Viſne idcirco hinc concludere, ergo ſubditi in nulla re licita tali Principi obedire tenerentur? vt ſi furta, adulteria, homicidia, aliaque ſcelera caſtigari præciperet, ſi ſuo mandato milites ad hoſtes reipublicæ debellandos conuocaret, ſi moderata vectigalia pro ſe, ſuaque familia ſuſtentanda à ſubditis exigeret, an audes tu aſſerere in iſtis, ac ſimilibus, quæ à quouis Principe, tametſi Chriſtianos perſequente, iure regni imperantur, obtemperandum non eſſe? Caue quid dixeris, eſt enim Chriſtiano homine indigna hæc noua Theologia, & Sanctorum Patrum doctrinæ apertiſſimè aduerſaria. *Si bonum eſt*, inquit, *S. Hieronymus*, [q] *quod præcipit Imperator, iubentis obſequere voluntati; ſi verò malum eſt, & contra Deum ſapit, reſponde illi de Actibus Apoſtolorum, Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus. An non Iulianus*, ait S. Auguſtinus, [r] *extitit infidelis Imperator?*

q Ad Tit. 3.

r In Pſal. 124.

Imperator? Nonne extitit Apostata, iniquus, idololatra? Milites Christiani seruiebant Imperatori infideli. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erãt propter Dominum æternum etiam Domino temporali.

96 Verùm tu rursus ad pristinum illud tuum vnde digressus es, argumentum de obedientia in rebus alioquin licitis ex mala Principis intentione scandalosà effecta inculcandum regrederis, quod licet in maximo apud te pretio habeatur, nihil tamen penitus valere iam suprà [f] clarissimè patefeci.

[f] Anu. 67.

[t] eodem. nu. 16. tui lib.

Similiter, inquis, [t] *si subditi viderent manifestè Principem ex affectu hæretico, vel Turcico præscribere ipsis obedientiam aliàs legitimam, & ciuilem, ita tamen, vt ipsis euidenter constet, talem obedientiam esse scandalosam, & paulatim introducturum hæresim, vel Turcismum ad ruinam spiritualem suam, filiorum, & nepotum, ac totius posteritatis in perpetuum, iure tenentur euitare hoc scandalum*

ſcandalum omittendo obedientiam ciuilem, tum quia ad hoc obligat charitas, vetans etiã bonum facere, ſi inde malum proueniat; tum quia Princeps nullam habet poteſtatem mandandi obedientiam ciuilem pro fine impio, & deſtructione corporali, ac ſpirituali tot millium, propterea à nulla auctoritate proceſſit tale imperium, atque graniſſimè ſtante hoc ſcandalo ſubditi peccarent contra fidem, religionem, charitatem, obedientes in temporalibus.

97 Sed hoc tuum exemplum nullam prorſus ſimilitudinem habet cum præcedentibus. Illa enim exempla, quæ ſuperius adduxiſti, de obedientia mala ex parte obiecti, & materiæ, quæ præcipitur, apertè loquuntur: hîc autem veterem tuam cantilenam inſuſurras de obedientia, quæ ex obiecto quidem bona eſt, & ſolùm ex malo fine præcipientis redditur ſcandaloſa. Et propterea huic argumento abundè iam ſuprà [u] ſatisfactum eſt. Mala enim Principis intentio obedientiã ſubditi aliàs legitimam vitiare non poteſt, neque ipſa obedientia in rebus alioquin licitis, cum virtus ſit eximia iure diuino, ac naturali præcepta, hæreſim, vel Turciſmum introducere, aut

[u] A nu. 67.

verum

verum ſcandalum procreare vllatenus va-
x Nu.21.tui l. let, vt tumetipſe x inferiùs immemor forſan eorum, quæ hîc ſcriptitaſti, apertè confiteris. *Quando*, inquis, *actio bona poſita eſt in præcepto, magnaq; incommoda ſequerentur, ſi eius officium omitteretur, illa actio non eſt vitanda propter illa incommoda.* Conſtat autem iuris naturalis, ac diuini præceptum eſſe, vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus in rebus licitis obedientiam præſtet, eiuſque omiſſio communem reipublicæ tranquillitatem quàm maximè perturbaret. Ex quo apparet, quàm debile ſit hoc tuum argumentum, cum ex tuiſmet etiam dictis tam facilè euertatur.

98 Ad illud verò, quod ais, *Principem nullam habere poteſtatem mandandi obedientiam ciuilem pro fine impio*, paulo antè
y Nu.84 y reſponſum eſt. Concedimus enim peccare quidem Principem, ſi malo fine præcipiat, & ſubditum ſimiliter, ſi malo fine obediat, cum praua hominis intentio actum quemcunque virtutis, qui ob malum finem ab eo elicitur, vitioſum reddat. Veruntamen negamus malam Principis intentionem legis, quæ aliàs iuſta eſt, obligationem tollere, aut obedientiam ſubditi,

qui

qui ob malum finem non obtemperat, deprauare.

99 Vana igitur, & planè friuola est tua concluſio, qua infers: *Cum ergo videat ſummus Pontifex obedientiam in ciuilibus eſſe malam, ſcandaloſam, neque ad eam præſtandam teneri ſubditos, ſed potiùs obligari ad non exhibendam talem obedientiam iure naturæ, & diuino, poterit hoc publicè declarare, ac præcipere, vt ſeruetur à ſubditis hac in re ius diuinum, & naturale.*

100 Poteſt quidem ſummus Pontifex quamcunque obedientiam, quæ verè mala, ac ſcandaloſa eſt, ſubditis interdicere, qualis eſt obedire Principi iniuſta imperanti, ſed omnem obedientiam ciuilem, etiam in rebus licitis, quæ cuiuis Principi ſiue fideli, ſiue infideli, quamdiu Princeps manet, tametſi mala intentione præcipiat, iure diuino, & naturali exhibenda eſt, poſſe ſummum Pontificem prohibere, eſt planè falſum, ſeditioſum, ſcandaloſum, atque peſtiferi erroris, vt ne quid grauius dicam, meritò condemnandum.

101 Ex his quoque ſatis perſpicuum eſt, quàm vana etiam ſit Reſponſio tua ad quandam obiectionem, quam inferiùs [z] de

[z] Nu 21. tui libelli.

hac obedientia scandalosa satis præposterè alijs obiectionibus interseris.

" *Verùm*, inquis, *obijciunt politici, licet obedientia à subdito exhibenda Principi in rebus* " *temporalibus sit interdum scandalosa, & contra* " *finem Euangelij, animarumq; salutem, non tamen* " *infertur indè omitti posse à subdito illam obedientiam* " *virtute mandati Ecclesiastici. Nam obedire Pontifici malè viuenti,* " *& detrimentum Ecclesiæ grande malo exemplo* " *adferenti est scandalosum, & nociuum Ecclesiæ,* " *nihilominus est tali Pontifici obediendum in spiritualibus, ergo scandalosa lex,* " *aut factum Principis non sunt idonea causa,* " *ob quam à Pontifice deponatur.*

" 102 *Respondeo, in diuersis diuersam esse* " *rationem ipsa fide Christiana determinatam.* " *Nam morem non gerere malo Pontifici in* " *spiritualibus, stante, & permanente imperio* " *Pontificis, est intrinsecè malum, & contraria* " *obedientia est prorsus in præcepto. Atque quando* " *actio bona posita est in præcepto, magnáque* " *incommoda sequerentur, si eius officium* " *omitteretur, illa actio non est vitanda propter* " *illa incommoda: Idcirco obedire sedenti* " *in Cathedra Moysis, licet inde sequatur euentus* " *nociuus, & scandalum ex malis moribus*

ribus sedentis, & præcipientis, non est vitiosum, sed potiùs vi legis sacræ præceptum.

103 *Nam in tribus fides Christiana nos certos facit. Primum, huiusmodi Pontificem non posse errare docendo hæresim, vel mandando aliquid contra bonos mores, si vt Pontifex, & ex Cathedra præscribat. Alterum, non permissurum Deum Ecclesiam destructum iri prauis moribus Pontificis. Tertium, alio modo immediatè summum Pontificem accepisse à Deo auctoritatem, alio verò Principem. Quantum ad prius, mandatum Principis potest esse scandalosum, & errore violatum. Quantum ad alterum, potest Rex totam suam ditionem per ciuilem obedientiam, vti medium, abducere à vera fide. Quantum ad postremum, Rex est filius Ecclesiæ, eiusque bona temporalia, vt instrumenta virtutis, subduntur Ecclesiæ, habetq; in terris Superiorem non in re temporali, vt temporalis est, sed in re temporali reductiuè, & finaliter modo supra explicato, iam facta spirituali.*

104 Sed quis non videt, hæc discrimina à te allata obiectioni propositæ nequaquam satisfacere? *Morem nō gerere*, inquis, *malo Pontifici in spiritualibus est intrinsecè malum, & contraria obedientia est prorsus*

cc *in præcepto, & propterea non est omittenda*
cc *propter incommoda, & scandala sequutura.*
cc *Idcirco obedire sedenti in Cathedra Moysis*
cc (in Cathedra Petri aptiùs dixisses) *licet inde*
cc *sequatur euentus nociuus, & scandalum ex*
cc *malis moribus sedentis, & præcipientis, non*
cc *est vitiosum, sed potiùs vi legis naturæ præ-*
cc *ceptum.*

Similiter dico ego, morem non gerere malo Principi in temporalibus, si res, quam præcipit, sit alioquin bona, est intrinsecè malum, & contraria obedientia est prorsus in præcepto, & propterea non est omittenda propter vlla incommoda, aut scandala sequutura. Idcirco obedire Principi Dei vicem in terris gerenti, licet inde sequatur euentus nociuus, & scandalum ex malis moribus Principis præcipientis, non est vitiosum, sed potiùs vi legis naturæ præceptum. Quî igitur fieri potest, vt tibi verè persuadeas, te huic obiectioni à temetipso excogitatæ responsum solidum adhibuisse?

105 At, inquis, *in tribus fides Christiana nos certos facit; primum, huiusmodi Pontificem non posse errare docendo hæresim, vel mandando aliquid contra bonos mores, si vt*

Pontifex,

Pontifex, & ex Cathedra præscribat: at mandatum Principis potest esse scandalosum, & errore violatum. Sed inprimis, an forsan celeberrimam illam Parisiensem Academiam, quam tota Christianitas vt omnium primariam semper venerata est, tu iam hæreseos condemnare velis, atque à fidelium cætu, & Catholicorum consortio segregare audeas ob doctrinam suam de fallibili summi Pontificis iudicio, tum in rebus fidei determinandis, tum in præceptis morũ decernendis, si absq; Concilio generali definiat, quam iam per totos ducentos annos totis viribus propugnauit?

106 Deinde, tametsi in decretis fidei, morumque præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, summus Pontifex errare non posset, *in præceptis tamen, & iudicijs particularibus non esse absurdum Pontificem errare*, Card. Bellarminus [a] disertis verbis fatetur. Sicut igitur ex eo, quòd aliquod particulare Pontificis præceptum malum sit, & scandalosum, non rectè infertur, in cæteris eius præceptis, quæ bona sunt, & honesta, non esse illi obtemperandum; ita etiam ex eo, quòd aliqua Principis præcepta particularia mala sint, & scan-

[a] lib. 4. de Rõ. Pont. c. 5.

daloſa, non probè colligitur, non eſſe illi in alijs rebus licitis, quas præcipit, obediendum.

107 *Alterum*, inquis, *eſt, non permiſſurum Deum Eccleſiam deſtructum iri prauis moribus Pontificis, at Rex poteſt totam ſuam ditionem per ciuilem obedientiam, vtì medium abducere à vera fide.* Sed, præterquam quòd Deus neque permittet Eccleſiam vniuerſam malis Principum moribus deſtructum iri, vt in mea Apologia * ex doctrina Card. Bell. luculenter oſtendi, conſtat obedientiam ciuilem in rebus licitis, cum iure naturali præcepta ſit, non poſſe ex tua etiam doctrina iam tradita, eſſe reuera medium ad homines à fide Chriſti abducendos: non enim actio bona quæ poſita eſt in præcepto, vt ſuperiùs [b] dixi, & tumetipſe hîc fateris, vlla dati ſcandali vera cauſa eſſe poteſt.

* Nu. 185 & ſeq.

b Nu. 87.

108 *Tertium eſt*, inquis, *alio modo ſummum Pontificem accepiſſe à Deo auctoritatem, alio verò Principem, &c.* Fateor equidem alio modo ſummum Pontificem accepiſſe à Deo auctoritatem, alio modo Principem; nam poteſtas Pontificia eſt ſupernaturalis, & à ſolo Deo, vt Auctore gratiæ

gratiæ, immediatè procedit: at potestas Regia est naturalis, & vel à solo Deo, vt Auctore naturæ immediatè efficitur, vt inferiùs [c] explicabimus, vel etiam à Republica suam auctoritatem in Principem transferente immediatè diriuatur. Veruntamen, cum ex lege diuina, & naturali omnis anima sublimioribus potestatibus subdita esse debeat, sicut intrinsecè malum est, non obedire Pontifici, quamdiu Pontifex est, in rebus illis quæ ab ipso legitimè imperantur, ita etiam non parere Principi, quamdiu Princeps manet, in rebus illis, quas iure Regio præcipere potest, est intrinsecè malum, & lege tum diuina, tum naturali interdictum. [c] 155. & seq.

Quomodò autem res temporales subiectæ sint summi Pontificis auctoritati satis dilucidè in superioribus declaraui, atque etiam statim paulo clariùs explicabo.

109 Itaque hoc tuo primo argumento funditus euerso, quod deductum esse asseris ab obligatione in subdito, quam habet ad parendum iuri naturali, & diuino, atque ex defectu potestatis in Principe, videamus nunc, quàm firmum sit alterum tuum argumentum, quod directè petitum

tũ esse ais ex ipsa auctoritate sũmi Põtificis.

d Nu. 17. tui lib. *Nemini*, inquis, [d] *obscurum respectu boni spiritualis, quod prouenire poterit Reipublicæ Christianæ, valde conuenientem esse hanc in Ecclesia potestatem in temporalibus, adeoque obedientia ciuili ordinanda. Hinc enim firmari potest fides, religio, ac reliquæ virtutes in republica, simulq́ Princeps videns eam obstare susceptæ ab ipsomet impietati continebit se, & ad meliorem mentem redibit.*

110 *Atque cum disertè, & eleganter duas hasce potestates, spiritualem nempe in Ecclesia, & temporalem in Republica comparet B. Greg. Nazianzenus animæ, & corpori, sicut pro bono hominis anima obtinet imperiũ in corpus, (non quidem vtì illud occidat, vt cauillatur hac in re Widdringtonus, hoc enim esset contra finem ipsius animæ, & contra naturale desiderium, quod habet manendi cum corpore, potiùs cupientis, vt docet Apostolus,* e 2. Cor. 5. [e] *superuestiri naturæ instinctu accessu gloriæ, quam spoliari ictu mortis) naturæ iure corpori imperare vult actus corporeos, & illos cohibere, ipsumque corpus, teste Aristotele, animæ obedientiam præstat, non ciuiliter, sed despoticè, hoc est, ad nutum, & ex certo, directoq́ sui pondere; inde effici apparet, ciuilia subiecta*

esse

esse Ecclesiæ, non vt Ecclesia eo iure abusa pec- »
cet, seipsamq; impediat vel destruat, veluti si »
anima suum corpus occideret, sed pro bono vir- »
tutis, hominum salute, sempiternáque Dei glo- »
ria de illo disponat. »

111 Expectabam equidem vt argumentum conuincens, ac *demonstratiuum* proferres, & tu rationem tantùm congruentem adducere profiteris. Ratio congrua persuasionem aliquam leuem, incertam, ac probabilem multoties in mente relinquit, sed assensum firmum, certum, ac indubitatum procreare nullatenus valet. Quòd si meam Apologiam diligentiùs considerasses, latere te non poterat, me duntaxat sententiam Card. Bellarmini, qui contrariam quorundam Catholicorum *hæresεως* nota aspergere non veretur, & suam certissimis rationibus *demonstrare* opinatur, confutandam suscepisse, atque in eo potissimùm elaborasse, vt eius rationibus *probabiliter* saltem responderem, atque adeo commonstrarem, auctores illos, qui talem deponendi Principes potestatem summo Pontifici ex lege Christi competere negant, non ita grauem, rigidamque censuram demereri, vt indigni sint, qui aut in Catholico-

Catholicorum cætu numerentur, aut ad Ecclesiastica Sacramenta admittantur. Et propterea, tametsi ego meo instituto satisfecerim, si argumentis à Card. Bellarmino allatis, *probabile* duntaxat responsum adhibuerim; qui tamen meam pro iure Principum Apologiam rationibus tantùm *congruis*, ac *probabilibus* euincere arbitratur, tum ipse longissimè errat, tum lectorem facillimè in errorẽ inducet; nam vel auctoritates irrefragabiles, vel rationes inexpugnabiles eum proferre necesse est, qui suam sententiam, vt *rem de fide certam demonstrare*, & contrariam, vt *hæreticam*, quæque à nullo verè Catholico defendi queat, refellere attentabit.

112 Conueniens est, vt ais, hæc potestas Ecclesiæ in temporalibus, vt scilicet Ecclesia indirectè, seu pro bono virtutis, rerum omnium temporalium habeat dominatum; pari etiam modo Canonistæ conuenientem esse aiunt potestatem Ecclesiæ in temporalibus directè, vt videlicet Ecclesia non solùm indirectè, seu in ordine ad bonum spirituale, vt tu cum Bellarmino sentis, verùm etiam directè, & absolutè rerum omnium temporalium dominio potiatur

tiatur. Atque hanc eandem similitudinem animæ, & corporis, quam tu pro potestate indirecta comprobanda producis, illi ad potestatem directè in temporalibus confirmandam cum maiori forsan probabilitatis specie adducunt.

113 Cæterùm, an forsan tu, qui Magister es in Theologia, ignoras, Deum meliora, atque ideo conuenientiora (nam bonitas in conuenientia consistit) efficere posse, quàm fecit? Et nihilominùs omnia, quæ à Deo facta sint, valde bona, & conuenientia esse, Sacræ literæ attestantur. Quamuis igitur ex eo, quòd res aliqua à Deo facta sit, rectè concludatur bonam, & conuenientem esse, non tamen econuerso, ex eo, quòd res aliqua bona, & conueniens sit, illico colligitur à Deo factam esse; cum multa bona, & conuenientia, quæ Deus nondum fecit, posse eum efficere S. Thomas [f] vnà cum alijs Theologis assueueret. Si Deus, exempli causa, aliquod remedium efficax pro infantibus, qui ex vtero matris viui exire non possunt, ad peccatum originale, quod contraxerunt, expiandum in ecclesia reliquisset, conueniens vtique fuisse non pernegabis; non tamen hinc, vt opinor

[f] 1. part. q. 25. art. 6. & alij Theologi ib.

opinor, audes rectò concludere, quamuis
g In 3. part. q. 68. ar. 2. Caietanus g piè id credat, sed an secundùm scientiam aliorum sit iudicium, Christum de facto talem suæ Ecclesiæ pro eiusmodi infantium salute potestatem concessisse. Quapropter, tametsi ego tibi gratis concederem, hanc Ecclesiæ potestatem, si talis esset, de rebus temporalibus pro bono spirituali disponendi valdè conuenientem esse, non tamen subinde colligere poteris Christum reipsa talem suæ Ecclesiæ auctoritatem communicasse.

114 Verùm enimuero si posito ordine, quem Deus de facto in hac rerum vniuersitate instituit, si positis limitibus, quos tam spirituali quàm temporali potestati præfixit, aliquis assereret, neque coercionem temporalem potestati spirituali congruere, neque pœnas spirituales potestati temporali conuenire, tu neque ex similitudine animæ, & corporis, neque alia ratione efficaci illud improbare posses.

115 Conueniens quidem est, quod tu ais, vt in Ecclesia sit potestas firmandi fidem, religionem, cæteraque virtutes, & quoslibet Christianos in suo officio continendi, sed per media coercitiua certa, & per

legem

legem Christi definita : attamen non est conueniens, vt potestas spiritualis extra proprios fines sibi à Christo constitutos excurrat, & potestatis politicæ, quarum actus, & officia Christus Dominus distinxit, temporalem iurisdictionem vsurpet. Conueniens etiam est, vt Principes Christiani, qui Ecclesiæ sanctæ Protectores à Christo constituti sunt, auctoritatem habeant fidem propagandi, hæreses exterminandi, vitia castigandi, sed per pœnas temporales, quæ potestatis politicæ conditioni sunt cõsentaneæ; verùm non esse admodùm conueniens procul dubio affirmabis, vt potestas ciuilis coercionis Ecclesiasticæ iura inuadat, cum præsertim, vt rectè dixit Petrus Damianus [h], *inter Regnum, & Sacerdotium propria cuiusque distinguantur officia, vt & Rex armis vtatur seculi, & Sacerdos accingatur gladio spirituali.*

h In epist. ad Episc. Firmin.

116 Vna etiam ratio congrua, quare verisimile non sit, tam amplam Principes deponendi, & armis materialibus vtendi potestatem à Christo Domino summo Pontifici, qua Pontifex est, concessam esse, ex doctrina Iacobi Almaini [i] deduci potest, quia, vt inquit, *esset occasio, quòd ratione*

i De potest. Eccles. & Laica, q. 1. cap. 9.

tione talis potestatis Papa efferretur in maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multùm damnosa subiectis, ideo illa etiam esset nociua Papæ, & subiectis, & sic non est verisimile, quòd Christus ei talem contulerit potestatem.

117 Plura quoque alia ego in mea Apologia [k] inconuenientia adduxi, sicut etiam hanc tuam similitudinem spiritus, & carnis, quam ex Gregorio Nazianzeno refers, non esse conuenientem, sed potestati spirituali, & temporaliquàm dissimillimam clarissimè comprobaui, atque rationem dissimilitudinis hisce verbis expressi. [l] *Quia caro se habet vt materia, spiritus vt forma, & propterea vnum quid essentiale, vnamq; personam constituunt, & hæc est causa, quare caro sit propter spiritum, illique per se subijciatur, sicut materia ex sua natura est propter formam, à qua perficitur: at verò potestas politica non se habet vt materia respectu Ecclesiastica, neque vna per se aliam respicit, vt suprà docuit Card. Bellarminus, & consequenter neque per se subordinantur, aut vnum corpus conficiunt, &c.*

k Nu. 43. & seq.

l Nu. 140.

118 Sed tu hæc omnia, & plura alia, quæ ego, in quibus hæc similitudo apta fit, &

& inepta, fusiùs declaraui, fraudulenter dissimulas, & hanc ipsam similitudinem iterum ita dolosè insusurras, ac si ego in ea confutanda iocosè potiùs cauillari, quàm argumento Card. Bellarmini ex ea deducto seriò satisfacere velle ab omnibus iudicarer, cum tamen clarum sit, me illi similitudini tam perspicuè respondisse, vt nisi tu veritatem potiùs occultare, quàm solidis argumentis eam seriò inuestigare exoptares, illam denuo ita nudè inculcare plurimùm erubesceres.

119 Fateor itaque B. Gregorium Nazianzenum disertè, ac eleganter has duas potestates, spiritualem nempe in Ecclesia, & temporalem in republica, animæ, & corpori comparasse. Veruntamen, vt in mea Apologia [m] annotaui, huius similitudinis analogia in nobilitate, ac dignitate potissimùm, & non in subiectionis, ac subordinationis æqualitate consistit. Sicut enim spiritus carnem dignitate præcellit, & huic tanquam subdito in omnibus operationibus corporeis, quæ voluntatis imperio subduntur, imperare potest, ita spiritualis potestas temporalem, tum nobilitate antecedit, tum in rebus spiritualibus, seu quæ ad spiritualia

[m] Nu. 139. & seq.

ſpiritualia reuocantur, in quibus duntaxat ſuperior exiſtit, huic præcipiendi facultatem habet. Sed in ſubiectionis modo quàm maximam diſſimilitudinem reperiri nemo inficias ibit.

120 Et primò tumetipſe notabilem differentiam inſinuas, dum ex Ariſtotele affirmas, corpus ſpiritui odedientiam præſtare non ciuiliter, ſed deſpoticè, hoc eſt, ad nutum, & ex certo, directóque ſui pondere; quod quàm verè à te dictum ſit, ſi generaliter loqui intendas, non eſt præſentis inſtituti examinare: nam idem Ariſtoteles ibidem expreſſè etiam docet, quòd ratio præeſt appetitui iraſcibili, & concupiſcibili, non principatu deſpotico, qui eſt domini ad ſeruum, ſed principatu politico, aut regali, qui eſt ad liberos, qui non totaliter ſubduntur imperio. Sed familiare tibi eſt in tenebris ambulare, vt nec fortaſſe tumetipſe ſcias, quò vadas, neque Lector quid velis, quóve tendas, facilè inuenire queat.

121 At eſto, quòd caro ſpiritui in aliquibus operationibus ad nutum obediat, non tamen idcirco, vt opinor, admittes, temporalem poteſtatem eodem modo ſpirituali

rituali ſubiectam eſſe; & propterea non eſſe in omnibus ſimilitudinem iſtam conuenientem, te Iudice, manifeſtum eſt. Radix autem huius diſcriminis ex ea differentia potiſſimùm conſurgit, quam ego paulo ſuperiùs ° aſſignaui, quæque ratio- °Num 7.
nem tuam ex hac ſimilitudine deſumptam funditus euertit. Quia enim anima, & corpus vnum compoſitum ſubſtantiale conſtituunt, inde fit, vt in homine vna tantùm ſuprema domina reperiatur, nimirum voluntas, cuius imperio cæteræ omnes potẽtiæ in illis operationibus, quæ ſunt in libera hominis poteſtate, ſubijciuntur. At verò poteſtas politica, & Eccleſiaſtica nec ſunt partes vnius corporis politici, nec vna alteri per ſe ſubijcitur, neque in Republica Chriſtiana, vt ſtatum politicum Chriſtianorum, & Eccleſiaſticum comprehendit, vnus tantùm ſupremus Dominus reperitur, cuius ſolius imperio ſupremo vniuerſi fideles in negotijs omnibus tam ſecularibus, quàm Eccleſiaſticis obedire tenentur, niſi forſan cum Canoniſtis opinari velis, ſummum Pontificem in rebus tam temporalibus, quàm ſpiritualibus ſupremum totius mundi Monarcham à

Christo Domino constitutum esse, quod quidem hæc similitudo animæ, & corporis, si in omnibus idonea esset, apertissimè confirmaret. Sed non in omnibus conuenientem esse, ego iam satis apertè, & antea in mea Apologia paulo luculentiùs cõmonstraui.

122 Atque, nisi in ea maximam dissimilitudinem ineſſe fatearis, non poteris denegare, quin ſicut anima corpori ſuo naturali caput abſcindendi poteſtatem non habet, ita neque poteſtas Eccleſiaſtica corporis politici ſupremũ caput, nempe Principem loco mouere queat. Et propterea, dum tu rationem aſſignas, quare anima ſuum corpus occidere licitè non poſſit, illud ipſum corroboras, quod ego ex profeſſo comprobare decreueram, nempe ſimilitudinem hanc in omnibus conuenientem non eſſe. Et ego etiam ſæpiùs rationem aſſignaui, quam tu aſtutè taces, quarè poteſtas ſpiritualis Principem temporalem deponere licitè non poſſit, quia nimirum ſpiritualis poteſtatis naturæ, ac conditioni non eſt conſentaneum, vt ciuilis iuriſdictionis proprias functiones ipſa per ſeipſam exerceat.

123 Id quod optimè hac tua ſimilitudine illuſtrari poteſt. Sicut enim voluntas, quæ in homine Principatum tenet, corpori præcipere poteſt, vt actiones quaſcunque corporeas, quæ eius imperio ſubſunt, eliciat, non tamen proprias ipſius corporis operationes ipſa, niſi organo corporeo mediante, per ſeipſam producere poteſt; ita poteſtas ſpiritualis quæcunque temporalia pro bono ſpirituali conſeruando Reipublicæ ciuili imperare poteſt, penes Rempublicam tamen ſpiritualem non eſt poteſtas de rebus temporalibus per ſeipſam diſponendi, ſeu proprias Reipublicæ temporalis functiones, niſi brachij Secularis auxilio interueniente, exercendi.

124 Vides igitur quàm parum ſimilis ſit hæc tua ſimilitudo, & quàm incommodè etiam illam ad tuum propoſitum accommodes. *Anima*, inquis, *pro bono hominis habet imperium in corpus, & naturæ iure corpori imperare vult actus corporeos, & illos cohibere, ergo ſimiliter ciuilia ſubiecta ſunt Eccleſiæ, vt pro bono virtutis, hominum ſalute, ſempiternaq; Dei gloria, de illis diſponat.*

125 Perbellum profectò argumentum,

perinde ac si ita colligeres; Deus est in cœlo, ergo baculus est in angulo. Nemo profectò, nisi cuius causa planè desperata esset, talem ex disparatis ratiocinationem conficeret. Potest, inquis, imperare temporalia, ergo potest de temporalibus disponere. Similiter potest Iudex Ecclesiasticus imperare, vt hæretici comburantur, igitur ipse per seipsum hæreticos comburere potest. Num fortasse non recorderis, me sæpiùs in mea Apologia, quam tu confutandam suscepisti, inter imperare, & disponere, longissimum discrimen ex instituto constituisse? Sed meliùs forsan tuæ causæ consultum fore existimasti, si illud de industria reticeres, vt ita faciliùs lectori fraudem tuam non aduertenti fucum faceres, illumque tuis fallacijs vnà tecum in errorem pertraheres.

126 Ex his igitur satis constat, quàm vana, fallax & captiosa sit illa argumentatio, qua inferiùs, postquam huc, atque illuc frustra, & sine ordine cursitasti, tandem astutè magis, quàm argutè, sed dolo tibi periculoso ita discurris.

p Nu. 10. tui lib. circa medium.

p *Certa fide definitum est, esse in Ecclesia potestatem, quæ disponere poterit de rebus quibusdam*

buſdam temporalibus pertinentibus ad Prin- »
cipem, atque ad obedientiam ſubditorum, »
ergo eadem fide conteſtatum, temporalia Prin- »
cipum, ſubditorumque obedientiam, ſubiï- »
cienda ſpirituali ſummi Pontificis auctoritati »
pro bono virtutis, & beatitudinis, & maioris »
Dei gloriæ. »

Antecedentem tuam propoſitionem iã ſæpiùs negauimus, eſt enim ipſamet quæſtio, de qua inter nos controuerſamur. An fortaſſe æquum eſſe iudices, vt rem ipſam, de qua litigamus, tibi gratis, & abſque probatione ſufficienti tibi concedam?

127 Verùm tu pluribus argumentis futilibus antecedens confirmas, quæ omnia hoc ſolùm commonſtrant, poſſe ſummum Pontificem, ſi bonum ſpirituale id requirat, temporalia imperare: vt exempli cauſa, quòd *poſſit Pontifex mittere Prædicatores in prouincias infidelium, & illis præcipere, vt ibi maneant, etiã Principe renitente, & ciuibus imperare, vt eos hoſpitio excipiãt, alant, foueãt, ac neceſſaria ſubminiſtrẽt*; quòd *poſſit homines ſceleratos excõmunicare, & alijs præcipere ne cum illis cõmunicent, eoſve benignè ſalutent*: quòd *poſſit Principibus præcipere, ne à Clericis tributa exigant, aut eorum*

personas indecenter tractent, quòd *possit præcipere vxori fideli, vt à marito infideli discedat, si absque fidei dispendio cum illo habitare nequeat*, & similia huius farinæ argumenta hîc, & superiùs infarcis, quæ solùm ostendunt, penes Pontificem esse potestatem pro spirituali hominum salute tẽporalia imperandi, sed de potestate disponendi nihil planè concludunt.

128 Abi igitur cum tuis *de fide certis, manifestis, definitis, exploratis, contestatis*, toties vsque ad nauseam repetitis, & cum pudore, ac tremore attende, quàm periculosum consequens deducere contendas.

cc *Ergo eadem*, inquis, *fide contestatum, temporalia Principum, subditorumque obedientiam, subijcienda spirituali summi Pontificis* cc *auctoritati pro bono virtutis, & beatitudinis, & maioris Dei gloriæ.* Idem planè consequens sæpius in superioribus [q] inculcasti. *Sicut anima*, inquis, *pro bono hominis* cc *imperium obtinet in corpus, & naturæ iure corpori imperare vult actus corporeos, ita temporalia subiecta sunt Ecclesiæ, vt pro bono virtutis, hominum salute, sempiternaque Dei gloria de illis disponat.* Et paulo inferiùs,

[q] Nu. 17. tui lib.

quod

[r] *quòd si*, inquis, *vel vnum tẽporale subijciatur summo Pontifici pro bono virtutis, etiam & reliqua.* [r] Nu. 18 tui lib. in fine.

129 Sed dic mihi, obsecro, quî fieri potest, vt tu hanc tuam pestiferam conclusionem audiens, non solùm præ pudore non erubescas, verùm etiam præ horrore non contremiscas? *Res*, inquis, *temporales Principum*, id est, *vita, dominia, possessiones, atque obedientia subditorum, subijcienda sunt summi Pontificis auctoritati, & dispositioni pro maiori gloria Dei.* An est possibile, vt aliquis, qui nomen Theologi sibi vendicat, talia, tamque exorbitantia paradoxa scriptis committere audeat?

130 Scio equidem Card. Bellarminum expressis verbis affirmare, Principes non solùm propter hæresim, sed etiam ob aliqua enormia flagitia, & subobscurè etiã indicare, [f] si non eo modo Deo seruiant, quo secundùm statum suũ tenentur, posse per spiritualem summi Pontificis auctoritatem suis dominijs priuari. Legi etiam Emanuelem Sa Societatis Iesu Theologũ in suis Aphorismis nouiter Coloniæ * impressis, & auctoritate Magistri sacri Palatij emendatis, disertè asserentem, *posse Princi-*

[f] lib. 5. de Rõ. Pont. cap. 7. in 5. ratione.

* Apud Ioan. Chrithium sub signo Galli. 1610.

pem, si non faciat officium suum, per Rempublicam deponi. Audiui etiam quosdam de spirituali potestate in temporalibus pro bono animarum, & ad maiorem Dei gloriam clanculum mussitantes; sed quòd summus Pontifex de rebus temporalibus Principum pro maiori Dei gloria disponere possit, & quòd temporalia Principum, id est, vita, dominia, possessiones, & obediẽtia ciuilis subditorum summi Põtificis auctoritati, & dispositioni pro maiori Dei gloria subijciantur, à nemine, præterquam à te solo tam temerè literis commendari vnquam audiui. Hoc enim summum Pontificem, non solùm supremum totius mundi in rebus temporalibus Monarcham efficit, verùm etiam eum posse pro libito Reges instituere, & destituere, & Regnum temporale vni Principi auferre, & alteri digniori conferre, de quo Rex noster Serenissimus in sua Pręmonitione meritò conqueritur, apertissimè demonstrat.

131 Quis enim ignorat, Principem illum, qui ad Euangeliçæ perfectionis consilia exequenda paratus existit, magis Dei gloriam prudentum omnium iudicio promoturum esse, quàm qui sola Christi, &

& Ecclesiæ præcepta adimplere proponit? Iste igitur iuxta hanc tuam doctrinam è regni solio depelli, & alter auctoritate summi Pontificis pro maiori Dei gloria exaltanda ad Regni thronum eleuari potest. Quapropter *hæc tua doctrina*, vt fusiùs in mea Apologia [t] declaraui, *de suprema summi Pontificis de temporalibus Principum disponendi potestate, sub terminis adeo vniuersalibus tradita, nempe pro bono virtutis, beatitudinis, & maioris Dei gloriæ, iustam videtur præbere ansam perturbandi pacem publicam, & innumeras suspiciones, atque terrores animis Principum incutiendi, cum præsertim summus Pontifex sit etiam ipse Princeps politicus, & homo humanis infirmitatibus subiectus, sicut cæteri, qui affectionibus iræ, inuidiæ, auaritiæ, atque dominandi, statusq; sui temporalis amplificandi libidine non solùm concitari, verùm sub prætextu etiam boni spiritualis, & maioris Dei gloriæ amplificandæ superari nonnunquam possit.*

[t] Nu. 52. & seq.

132 Sed apage te cum huiusmodi paradoxis, & hac tua noua, inaudita, atque à te solo, quantum scio, literis commendata doctrina, quæque, eo modo, quo sonat, non solùm falsa, temeraria, seditiosa, & scanda-

ſcandaloſa, verùm etiam, vt tuis verbis vtar, eſt recens (quorundam aſſentatorum) abiectiſſimæ adulationis idololatria. Atque ita tu, qui mihi nequaquam te laceſſenti fœdiſſimas hæreſeωs, ac Ethniciſmi notas, falſò, & immeritò inurere voluiſti, à temetipſo veri erroris, & meritam ſeditionis ſuſpicionem non ita facilè dimouebis, vt illud Sapientis de [u] te rectè affirmari poſſit, *qui fouit foueam incidet in eam, & qui ſtatuit lapidem proximo offendet in eo, & qui laqueum alÿ ponit, peribit in illo.*

u Eccleſiaſtici 27.

133 Iam ad reliqua progrediamur.

Poſtquam itaque ſimilitudinem illam animæ, & corporis, poteſtati ſpirituali de temporalibus diſponendi ineptè ſatis aptaſti, rurſum diſquiris, quomodo temporalia non ſint ſubiecta ſummi Pontificis curæ, & prouidentiæ ad hæc bona ſpiritualia tam præclara, & conuenientia procuranda? Atque inprimis aſſeris, [x] *Widdringtonum in hoc multùm inſiſtere, quòd res temporales non ſint ſubiectæ ſpirituali ſummi Pontificis auctoritati, eo quòd inſtrumenta, & media poteſtatis ſpiritualis debeant eſſe ſpiritualia, non carnalia, vel temporalia. Verùm hoc apertè fidei Chriſtianæ repugnat. Nam penetrare in*

x Nu. 18. tui l. “ “ “ “ “ “

in regnum aliquod, ibi manere, assumere aquam ad baptizandum, sunt res temporales; subditos fouere, & nutrire Pastores suos, illos adire, temporalia sunt, tamen præcipi possunt à summo Pontifice, quandoquidem licita iure diuino, subiectáq; eius officio Pastorali, &c. »

134 Sed hæc ex supradictis facillimè refelluntur. Constat enim Widdringtonum, vt paulo anteà [y] vidimus, disertis verbis affirmare, res temporales, si spiritualis boni necessitas id postulauerit, *spirituali* summi Pontificis *auctoritati* siue *imperio* subiacere. Neque tu omnibus tuis argumentis, atque exemplis, quæ congeris, aliud confirmas. Et propterea potest summus Pontifex ea omnia præcipere, vel prohibere, quæ lex Christi, aut naturæ iubet, vel prohibet, qualia sunt ea omnia hîc à te enumerata, quæ ad Euangelij prædicationem, & sacramentorum administrationem necessariò requiruntur; veluti penetrare in regnum aliquod ad prædicandum Euangelium, ibi manere, assumere aquam ad baptizandum, deligere loca ad concionandum, & ad sacramenta administranda, eleëmosynas à populo accipere, eosque ad conciones audiendas inuitare: quæ omnia

[y] Nu. 127.

tu

tu inter temporalia recenſes, cum tamen in ſpiritualibus, aut ſaltem ſpiritualibus annexis anumeranda ſint.

135 In hoc ſolo inſiſtit Widdringtonus, *non poſſe ſufficienter demonſtrari*, quòd res temporales ſummi Pontificis diſpoſitioni ſubiectæ ſint, & quòd Eccleſia rerum omnium temporalium pro bono ſpirituali dominium habeat, & quòd medijs, ſeu pœnis temporalibus conſtringentibus ad finem ſpiritualem conſequendum vti poſſit. De hoc etenim duntaxat præſens quæſtio inſtituitur, vt ſæpiùs in mea Apologia de induſtria obſeruaui, quod tamẽ tu fraudulenter diſſimulas, & *diſponere* cum *imperare*, atque media *conſtringentia* cum *dirigentibus* ſatis inſidioſè confundis.

136 At, inquis, [z] *ſi licet ſummo Pontifici præcipere actum virtutis, conſtantemq; officio temporali, qui non eſt contra obedientiam ciuilem, quare non poteſt prohibere obedientiam temporalem pro bono virtutis, cum vtrobiq; ſit res temporalis, & idem finis ex virtute? ergo ciuilis obedientia non eſt ex hac parte indiſpenſabilis, quòd poſita in re temporali.*

z Nu. 78. tui lib. paulo ab initio.

137 Arguta mehercule argumentatio. Poteſt, inquis, *ſummus Pontifex præcipere actum*

actum virtutis, qui non est contra obedientiam ciuilem, ergo potest prohibere obedientiam ciuilem pro bono virtutis: Ac si ita diceres, Potest summus Pontifex præcipere actum virtutis, ergo potest præcipere actum vitiosum pro bono virtutis. An ignoras obedientiam ciuilem in rebus licitis iure diuino præceptam esse, & proinde non obedire in rebus illis, quæ à Principe iure Principatus præcipi possunt, peccatum esse, & iure diuino, ac naturali interdictum? Vtrùm autem summus Pontifex peccata præcipere possit, cuiuis, vel mediocriter docto, iudicandum relinquo.

138 At forsan respondebis, te loquutum esse de obedientia ciuili in vniuersum, prout licitam, ac illicitam comprehendit. Sed quis, obsecro, vnquam negauit, obedientiam ciuilem in rebus illicitis, quæ reuera non obedientia, sed diuinæ legis præuaricatio est, à sũmo Pontifice prohiberi posse? Quis vnquam affirmauit, obedientiam ciuilem in rebus alioquin licitis idcirco esse indispensabilem, quòd posita in re temporali, cum clarum sit res temporales nonnunquam summi Pontificis imperio subiectas esse?

139 Non

139 Non igitur obedientiam ciuilem in rebus licitis propterea esse indispensabilem asserimus, quoniam posita est in re temporali, vt tu comminiscéris; sed quoniam non obedire Principi, quamdiu Princeps est, in ijs, quæ iure Regni præcipere potest, tum legi naturali, tum diuinæ, in quibus Papa dispensare non potest, apertissimè aduersatur.

Illud verò, quod antea à te sæpiùs repetitum denuo inculcas de obedientia ciuili alioquin licita, quam ais ex malo fine, quem Princeps intendit, posse reddi malam, & scandalosam, ac proinde summi Pontificis imperio subijciendam, *quia vnaquæq; res talis est, qualis eiusdem finis, &c.* satis luculenter à me superiùs [a] confutatum est.

a Nu. 79. & seq.

140 Pergis [b] deinde ad expostulandum cum Domino Blackwello, & cum suæ factionis hominibus (ita enim eos appellas) atque *miraris, quo animo ipsi tutum, ac licitum in conscientia ducunt, cum Iuramentum fidelitatis susceperint, manere in Anglia, accipere eleëmosynas à populo, & ad hoc faciendum illos hortari, cum hæc directè sint contra obedientiam in ciuilibus, ac in rebus tempo-*

b Eod. nu. 18. usq; lib.

temporalibus, de quibus in vniuersum iura- „
mentum susceperunt. Et postea scisciteris, *quo* „
iure B. Augustinus cum socijs suis venit in An- „
gliam ad prædicandum Euangelium, ibique „
mansit contra Principum leges. Ac tandem „
tumetipse respondens ita concludis:

141 *Nisi ergo notam hæreseos incurrere velint, fateri debent, se in Anglia morari, & eleemosynas accipere contra leges Regni, potestate ad id accepta à summo Pontifice, qui in istis temporalibus potestatem habet dispensandi pro necessario fine Ecclesiæ, & bono eiusdem spirituali. Quòd si in hoc temporali spectante ad obedientiam ciuilem cum illis dispensatum est à summo Pontifice, concessáq; potestas agendi contra obedientiam ciuilem, quare eandem facultatem illis non poterit largiri respectu aliorum temporalium in ordine ad eundem finem spiritualem? an in vno licitum agere contra obedientiam temporalem, & non in alijs omnibus eundem finem indifferenter respicientibus?*

142 Miraris quo animo D. Blackwellus, & alij, cum Iuramentum fidelitatis susceperint, maneant in Anglia, &c. Sed recole, si placet, quæ ego paulo superiùs ° annotaui, & mirari desines. Nam fortasse etiam miraris ° Nu. 134.

miraris, quo iure Christus Dominus misit Apostolos in vniuersum orbem terrarum, dicens, [d] *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, & docentes seruare omnia, quæcunque mandaui vobis?* Igitur eodem iure, quo quis credit, religionem, quam profitetur, veram Christi religionem esse, etiam illud Euangelium, quod credit, & ad quod prædicandum legitimè missus est, populo annunciat, & Sacramenta à Christo instituta administrat, eaque omnia temporalia, quæ ad Euangelij prædicationem, ac Sacramentorum administrationem necessaria sunt, ipsa lege Christi licitè exerceat.

d Math. 28. Marc. 16.

143 Meritò profectò mirari posset aliquis, quo iure Sacerdotes, qui ad prædicandum more Christiano, & Apostolico, & non ad bellandum more gentili, & politico, à Christo mittuntur, teneantur ex tua doctrina, si commodè possint, aduersus Principes, qui eorum prædicationem admittere noluerint, arma in sui defensionem corripere, & tumultus in republica concitare, cum neq; in Sacris literis vllum prorsus præceptum, aut exemplum contineatur, vel Christi Domini, qui tanquam

agnus

agnus innocens coram mactante vix os suum aperuit; vel Apostolorum, qui etiam tanquam oues in medio luporum ab eo ad prædicandum missi sunt, quosque ad persecutiones pro fide eius patienter tolerandas, & non ad vim illis à Magistratu illatam manu violenta propellendam sæpiùs hortatus est: neque in tota primitiuæ Ecclesiæ praxi vel vnicum, quod legi, alicuius è sanctis Patribus testimonium de fide Christi vi, & armis à Sacerdotibus plantanda inueniri queat. *Aspice*, inquit, S. Augustinus, *etiam tẽporanoui Testamenti, quando iam ipsa manſuetudo charitatis non ſolùm in corde erat ſeruanda, verùm etiam in luce monſtranda, quando Petri gladius in vaginam reuocatur à Chriſto, & oſtenditur non debuiſſe de vagina eximi nec pro Chriſto.* c Tom. 2. epist. 48. ad Vincent.

144 Quod verò ais D. Blackwellum, & socios iuramentum suscepisse, *de præstanda obedientia in ciuilibus, ac temporalibus in vniuersum*, si nomine ciuilium, & temporalium in vniuersum intelligas, vt intelligere videris, vniuersa etiam temporalia, quæ legi Christianæ repugnant, fateor equidē me, ex quibus iuramenti verbis illud colli-

gere possis, penitus ignorare.

145 Vana igitur est interrogatio illa tua, qua quæris, *cur in uno licitum est agere contra obedientiam ciuilem, & non in cæteris eundem finem indifferenter respicientibus?* Sicut enim contra omnem obedientiam ciuilem, quæ rem iniustam, & diuinæ legi contrariam præcipit, agendi Christus Dominus potestatem concessit, cùm Deo magis quàm hominibus obedire oporteat; ita contra nullam obedientiam ciuilẽ, quæ rem iustam, atque honestam imperat, tametsi Princeps mala intentione præcipiat, agendi licentiam vel lex Christi, vel naturę vnquam permittit, vt in superioribus fusiùs explicaui.

Iam reliquas tuas subtilitates audiamus.

146 *Porrò*, inquis, [f] *si quis diceret, ideo obligationem fidelitatis in subdito esse indispensabilem, eo quòd sit iuramento firmata, is nihil efficeret, quandoquidem fide constet, Ecclesiam dispensare posse in iuramentis, & votis. Vnde sic argumentor: Votum virtutis dissolui potest per Summum Pontificem, vtpote prohibentem materiam voti, scilicet actum externum, vel loco Dei restituentem votario verbum suum: ergo officium iuramenti homini*

f Nu. 19. tui lib.

ni

ni promissum per Pontificem dissolui potest. »
Antecedens est de fide. Consequentia à ma- »
iori ad minus affirmatiuè. Et sanè multo ma- »
gis, & immediatiùs Deus Dominus est factus »
per votum promissi, quàm Princeps est Domi- »
nus officij ciuilis in subdito, vt constat: proinde »
quòd Princeps habeat potestatem immediatè à »
Deo, non infertur ciuilia haud spectare ad ius »
Pontificis. »

147 Sed hæc tua obiectio tùm gratis à te conficta est, tum etiam minùs solidè confutata. Gratis quidem à te conficta, quoniam nemo, quem ego legi, vnquam affirmauit, ideo obligationem fidelitatis in subdito esse indispensabilem, eo quòd fit iuramento firmata, cùm subditi, antequam aliquod iusiurandum emittant, Principi suo legitimo in rebus licitis, tùm iure diuino, tum naturali obedire teneantur. Iuramentum enim subditi, sicut Principi regnandi ius primùm non tribuit, sed supponit, illudque duntaxat confirmat, ita neque obligationem fidelitatis in subdito primùm efficit, sed solùm illius vinculum insolubilius reddit. Et propterea, tametsi summus Pontifex in vinculo Iuramenti religioso, quod ad naturalem fidelitatis obli-

gationem cõfirmandam ſuperadditur, diſpenſare poſſet, quod, vtrùm adeò certum ſit, vt tu ſupponis, ſtatim examinabimus; adhuc tamen remaneret prius illud naturale obedientiæ vinculum, quo ſubditi ante quodcunque iuſiurandum ab illis ſuſceptum (neque enim omnes ſubditi fidelitatem iurant) ad obediendum Principi ſuo legitimo ipſa lege naturali, & diuina, in qua Pontifex diſpenſare nequit obligantur.

148 Verùm, ſi propoſitionem illam, quã obijcis, conuertiſſes, atque dixiſſes, ideo religioſum iuramenti vinculum de fidelitate Principi præſtandæ, eſſe indiſpenſabile, quoniam obligationem fidelitatis naturalem, vtpote iure naturæ Principi debitam, confirmat, maiori profectò cũ probabilitate locutus fuiſſes. Conſtat enim præclariſſimos Theologos, g in quibus numeratur S. * Thomas, exiſtimare, diſpenſationem iuramenti non eſſe remiſſionem aliquam, quę ipſam iuramenti obligationem directè tollat, ſeu licentiam alicui concedat, vt non obſtante iuramento, quod emiſit, faciat contrarium, ſed eſſe interpretationem duntaxat, qua ſuperior indirectè iuramenti obligatio-

g Bonau. in 4. d. 38. ar. 2. q. 3. Palud. ibidem q. 4. ar. 4. Caiet 2. 2. q. 88. ar. 12. Silu. verbo Iuramentum 5. q. 2. Armilla verbo votũ, nu. 13. & alij agentes de diſpenſatione voti, in qua eadem eſt ratio quæ iuramenti.

* S Thom. 2. 2. q. 89. ar. 9.

obligationem aufert, declarando rem ipsam, quæ iuramento firmata est, non esse vltrius debitam materiam iuramenti, & consequenter iuramentum circa talem materiam indebitam ad sui obseruationem nō ampliùs obligare.

149 *Dispensatio*, inquit S. Thomas, *quæ fit in iuramento, non se extendit ad hoc, quòd aliquid contra iuramentum fiat. Hoc enim est impossibile, cum obseruatio iuramenti cadat sub præcepto diuino, quod est indispensabile; sed ad hoc se extendit obligatio iuramenti, vt id, quod sub iuramento cadebat, sub iuramento non cadat, quasi non existens debita materia iuramenti. Et quoniam materia iuramenti promissorij est aliquid futurum, quod variari potest, ita scilicet quòd in aliquo euentu potest esse illicitum, vel nociuum, & per consequens nō esse debita materia iuramenti, ideo dispensari potest in iuramento promissorio, quia talis dispensatio respicit materiā iuramenti, & non contrariatur præcepto diuino de iuramenti promissione.* h loco citato.

150 Quapropter iuxta hanc sententiam, (quam tametsi ego approbare non velim, eam tamē, cum tam illustrium Doctorum opinio sit, vt improbabilē improbare

non audeo,) non potest summus Pontifex in sacramento fidelitatis dispensare, nisi in ipsa naturali fidelitatis obligatione, qua subditi ipsa lege naturali, & diuina, in qua Pontifex dispensare nequit, Principi, quamdiu Princeps est, deuinciuntur, pariter etiam dispenser. Et propterea non idcirco obligatio fidelitatis est indispensabilis, quia iuramento firmatur, cum naturale fidelitatis vinculum remanere possit, etsi posterior iuramenti obligatio auferatur, iuxta communem Iurisperitorum regulam, *sublato accessorio nõ proinde principale auferetur*; sed potiùs econuerso *probabiliter* colligi potest, idcirco religiosam iuramenti obligationem naturali fidelitatis vinculo superadditam esse indispensabilem, quia in ipsa naturali fidelitatis obligatione, qua iure naturali Principi deberur, summus Pontifex dispensare non potest. Quocirca, quantumuis de fide certum sit, vt tu ais, posse Ecclesiam in iuramentis, & votis dispensare, non tamen de fide certum est penes Ecclesiam esse potestatem in quibuscunque iuramentis, vt statim apparebit, neq; etiam in omnibus votis, vt patet in voto solenni religionis, dispensandi

151 Ex dictis itaque apparet imbecillitas argumenti, quod subijcis. Non enim *efficaciter* probat, posse summum Pontificem in ipso religioso iuramenti vinculo de fidelitate Principi præstanda, & multo minùs in ipsa naturali fidelitatis obligatione dispensare. Neque enim inprimis certum est, votum magis obligare, quàm iuramentum, cum plures viri perdocti [k] contra S. Thomam * sentiant, obligationem voti, licet sanctior sit, minorem tamen esse, quã iuramenti. Deinde, tametsi obligatio voti maior esset, quàm iuramenti, non tamen inde à maiori ad minùs rectè concludis, *Quòd si votum virtutis dissolui potest per summum Pontificem, ergo officium iuramento homini promissum per Pontificem dissolui potest.*

k Maior in 3. d. 39. q. 2. & in 4. d. 38. q. 4. Medina lib. 5. de continent. Sacerd. c. 22. & 23. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 7. punc. 4.

* 2. 2. q. 89. ar 8.

152 *Votum enim, & iuramentum*, vt rectè ait Gregorius Sayrus [l]; à quo cæteri Theologi non dissentiunt, *differunt primò ex parte dispensationis, quòd licet Papa dispensare possit in voto, quod maius est, non tamen inde inferre licet, posse dispensare in iuramento, quod minus est. Nam relaxare non potest iuramentum factum alteri de soluendo ei certam pecuniæ quantitatem, cum non habeat*

l In Claue Regia lib. 5. c. p. 8. nu. 4.

facultatem tollendi alteri, quod suum est, quod tamen relaxare potest alter, cui promissio illa facta est, cum sit suorum bonorum dominus. Sicut enim illa potest donare, ita etiam iuramentum sibi de illis exhibitum remittere potest. Econtra verò, quia votum sit Deo, cuius Papa Vicarius est, potest illud in aliquod aliud, quod sibi magis gratum est, commutare, in quo tamen voto primatus homo dispensare nequit, cum Dei Vicarius non sit.

153 *Secundò differunt* (ait Sayrus) *ex parte dispensationis respectu materiæ, quòd in commutatione, dispensationeque votorum attendi debet id, quod Deo magis gratum sit,* (cum votum soli Deo fiat) *in iuramentis verò* (quæ & Deo, & homini fiunt) *relaxandis caueri debet, ne fiat iniuria tertiæ personæ.* Et [m] infrà, *Ex quo,* inquit, *fluit, non habere summum Pontificem eandem, neque æqualem potestatem dispensandi in iuramentis, quam habet in votis. Nam quia iuramenta nonnunquam fiunt in commodum tantùm hominis, vota autem semper fiunt Deo, cuius Vicarius est Summus Pontifex, ideo in omni voto,* (ex causa nimirum rationabili) *non autem in omni iuramento dispensare potest.*

m Nu. 8.

154

154 Vides igitur tum argumenti tui, quod tamen tu *de fide certum* esse credis, debilitatem, tum etiam causam, ob quam summus Pontifex possit in votis, quæ fiunt soli Deo, cuius Vicarius in spiritualibus constitutus est, non autem in iuramento obedientiæ temporali Principi ex lege naturali exhibendæ dispensare, cum Princeps ipse temporalis, & non summus Pontifex in rebus temporalibus Dei vicem gerat, & in ijs nullum superiorem præter Deum recognoscat.

Illud verò, quod in calce tui argumenti subiungis, *proinde quòd Princeps habeat potestatem immediatè à Deo, non infertur ciuilia haud spectare ad ius Pontificis*, ad præsentem obiectionem est omnino impertinens, sed potiùs ad sequentem, quam statim subnectis, pertinere videtur.

155 *Verùm in hoc*, inquis, *potissimùm* o Nu.28.tui l.
insistunt contrariæ sententiæ assertores, ideo à »
Pontifice dissolui non posse vinculum ciuilis o- »
bedientiæ ex iuramento, quòd Princeps, cui »
talis obedientia debetur, habeat summum im- »
mediatè à Deo, & propterea nullas præter »
Deum poterit ei adimere ius in subditum, adeo »
ut sit intrinsecè malũ, non obedire subditum »

in

« *in ciuilibus ſuo Principi, vt eſt blaſphemare,*
« *mentiri, vti in nullo planè caſu ſit licita, aut*
« *vllo ſuo bono honeſtabilis contraria omiſſio*
« *officij, Infirmum ſanè eſt argumentum.*

156 Vt autem huius obiectionis infirmitatem oſtendas, plura repetis de poteſtate ſummi Pontificis diſponendi de temporalibus, quæ ſæpiſſime in ſuperioribus inculcaſti, quæque ego etiam ſatis luculenter confutaui. Deinde P obiectione quadam, cui ego ſuperiùs q ſatisfeci, præpoſterè intercalata, probare contendis, *poteſtatem Regiam non ita eſſe immediatè à Deo, quin ad eam ſimul cum Deo immediatè efficiendam reſpublica concurrat; at poteſtatem Papalem eſſe immediatè à Chriſto Domino, vt à ſola cauſa efficiente, & Cardinales ſolummodò Pontificis perſonam in electione deſignare.* Ex qua differentia inter poteſtates Regiæ, & Pontificiæ effectionem, putas te manifeſtè concludere, *ſemper obediendum eſſe Pontifici in ſpiritualibus, cum depoſi non poſſit ab Eccleſia, non verò perpetuò morem gerendum Regi etiam in temporalibus præcipienti.*

p Nu.21.tui.l.
q Nu.101.

r Nu.23.tui lib.in fine.

157 Sed falleris turpiſſimè, bone vir, & qui alijs hanc controuerſiam grauiſſimam

mam de potestatis Regiæ origine explicare prætendis, tumetipse illius sensum haud rectè intelligere videris. Non etenim illi, qui asserunt Principes supremos à nulla humana potestate in temporalibus iudicari, suisve dominijs priuari posse, & consequenter non posse per Pontificem vinculum ciuilis obedientiæ inter Principem, & subditos, ipso Principe renitente, dissolui, aut multùm, aut parum; & proindenec potissimùm in eo insistunt, quòd Princeps, cui talis obedientia debetur, habeat suum ius immediatè à Deo, & propterea nullus præter Deum ius in subditum illi adimere possit. Norunt optimè, se ad debile omnino propugnaculum adhæsuros, si illud pro potissimo suæ opinionis fundamento eligerent, quod sum quidam excipsis nullatenus admittuor, sum aliqui etiam exaduersarijs gratis concedunt.

158 Sunt enim viri doctissimi, inter quos est [f] Victoria, & [*] Couarruuias, qui tametsi potestatem Papalem Reges, ac Principes deponendi vehementer propugnent, aiunt tamen, quòd licet potestas Pontificia sit de iure diuino, & immediatè à solo Deo, vt auctore legis Euangelicæ

[f] In relect. de potest. ciuili nu. 8.

[*] De practicis quæstion. cap. 1. nu. 6.

licè efficienter procedit, licet applicatio illius ad hunc, vel illum, qui in Papam eligitur, pendeat à voluntate, & electione hominum: ita potestas ciuilis, & Regia est de iure naturali, & immediatè à solo Deo, vt auctore legis naturæ, efficienter dimanet, tametsi applicatio illius ad hunc, vel illum, qui in superiorem communitatis eligitur, à libera concessione, & electione hominum dependeat.

159 Alij, inter quos est Guilielmus Barclaius, [1] quantumuis doceant, Principes supremos neque per rempublicam, neque per Pontificem suis Principatibus priuari posse, non tamen concedunt, potestatem Regiam esse à solo Deo immediatè, sed affirmant, eam primò à republica, quæ eam suam potestatem in Regem trãstulit, tanquam à causa efficiente profectam esse. Pari etiam modo eruditissimi Scholæ Parisiensis Theologi, etiamsi censeant, posse summum Pontificem, ob crimina valde scandalosa per auctoritatem Ecclesiæ Pontificatu priuari, aiunt nihilominùs, potestatem Papalem non esse ab Ecclesia in Pontificem efficienter deriuatam, sed à solo Deo immediatè illi concessam esse.

[1] Lib. 3. contra Monarch. cap. 4.

160 Igitur

160 Igitur hæc tua obiectio, in qua refellenda multa otiosè consumis, tum frustrà à te excogitata est, tum etiam valde exiliter impugnata. Non enim contrariæ sententiæ assertores huic fundamento præcipuè innituntur, vt tu comminiscéris, quòd potestas Regia sit immediatè à solo Deo, & non à republica, sed in hoc potissimùm insistunt, quòd Principes supremi, siue potestatem suam à republica efficienter deriuaram in principio habuerunt, vt quidam volunt, siue à republica titulum duntaxat potestatis, sed ipsam potestatem à solo Deo, vt legis naturalis auctore immediatè acceperunt, vt alijs placet, quosque tu nullo solido, ni fallor, argumento oppugnare poteris; postquam tamen legitimo titulo ad Principatum euecti fuerint, non habent neque potestatis suæ titulum à republica, sed à solo Deo, præter quem nullum superiorem recognoscunt, deinceps dependentem.

161 Quis enim ignorat, plurima tum naturalia, tum moralia, vt primùm efficiantur, ab aliquo dependere, quæ tamen, vt postea conseruentur, ab eo nequaquam pendent? Filij à parentibus esse, & viuere primùm

primùm acceperunt, sed semel geniti, vt in vita conseruentur, immediata parentum efficientia nequaquam indigent. Non potest visus cœco restitui, nisi per potentiam Dei supernaturalem, & per specialem illius concursum, at postquam facultas videndi miraculosè restituta fuerit, solo generali Dei concursu absque vllo miraculo, aut speciali eius auxilio conseruari potest. Insuper, si Petrus certam pecuniæ quantitatem dono det Paulo, clarum est, totum ius, & dominium, quod in illam pecuniam Paulus habet, ex Petri dono primùm prouenisse, & nihilominus non minùs certum est, non esse in potestate Petri, postquam semel totum suum ius, & dominium in Paulum transtulerit, pecuniam datam sibi amplius vendicare.

162 Iam, quàm insufficienter hanc obiectionem à te confictam refellas, paulisper attende. Qui Regiam potestatem à solo Deo, vt auctore naturæ, efficiēter procedere opinantur, tametsi potestatis titulum à republica prouenire existiment, ita philosophantur:

Lex naturalis, siue recta ratio, lumenque naturæ dictat, vt in supremo cuiuslibet

bet communitatis superiore, siue iste sit ipsa communitas, siue vnus aliquis à Deo, aut communitate in superiorem designatus, sufficiens sit potestas in singulas partes ad eas iuxta ipsius communitatis naturam, & conditionem pœnis, præmijs, legibusque gubernandum. Quapropter ex eo quòd homines ad integrandum vnum reipublicæ corpus conueniunt, ipso iure naturali, & non ex libero partium consensu oritur potestas totius reipublicæ in singulas illius partes ad eas regendum, ad leges illis ferendum, & ad transgressores pœnis debitis afficiendum. Itaque, cum Deus optimus Maximus auctor sit iuris naturalis, sanè huiusmodi potestas est immediatè à solo Deo, vt naturam instituente, tametsi hominum adunatio in vnam rempublicam conditio sit, sine qua ea potestas non resultaret. Et propterea respublica non habet suam potestatem auctoritate, seu concessione partium, ex quibus coalescit, in quorum arbitrio non est tantam, & non maiorem auctoritatem tribuere, sed sola auctoritate diuina, à Deoque immediatè tanquam ab auctore naturæ suam potestatem habet.

163 At-

163 Atque hinc fit, vt licet ſuprema dominandi poteſtas in ſola hominum communitate adunata à principio extiterit, non tamen ex neceſſaria naturæ lege in ea fuerit, quatenus communitas erat, ſic enim ſuprema poteſtas ciuilis ſemper in communitate remaneret, neque ſecundùm ſe totam in Reges transferri poſſet, neque Rex totius communitatis adunatæ, ſed ſingularum tantùm illius partium ſupremus Princeps eſſet, ſed ſuprema hæc regendi auctoritas in ipſa communitate, non quatenus communitas erat, ſed quatenus communitas per adunationem ſuperior ſingularum partium effecta eſt, reſidebat. Adeo vt quicunque in ſupremum reipublicæ ſuperiorem legitimè deputatur, ſiue is vnus ſit, ſiue plures, tametſi deputationem illam, ſeu poteſtatis titulum ex libero hominum conſenſu accipiat, totam tamen dominandi poteſtatem Deus ſolus per legem naturæ illi communicet. Aiunt igitur iſti Doctores, ſi reſpublica aliquem in Principem eligeret, ea conditione, vt tantam, & non maiorem, vt in his caſibus, & non in illis habeat poteſtatem, regimen illud non fore ſimpliciter, & abſo-

lutè

lutè Monarchicum, ſed Democraticum, vel ſaltem ex vnius, & plurium regimine mixtum, & tanto propiùs ad Monarchiæ naturã accedere, quanto Princeps poteſtatem magis abſolutam, minuſq; reſtrictam, ac dependentem habet.

164 Ex his igitur ea, quæ in contrarium obijcis, facillimo negotio diluuntur. Et primò, *Si Principes*, [u] inquis, *haberent ſuam auctoritatem à Deo immediatè, vt nihil aliud veluti cauſa ſecunda efficienter concurreret cum ipſo Deo, tunc reuera Principis auctoritas eſſet diuina, & ſupernaturalis, quandoquidem nulla cauſa ſecunda valeret attingere collationem eiuſdem: eſſet quoque eius lex immutabilis, & indiſpenſabilis, vt patet de iure diuino, quod in ſacris literis declaratur, quæ falſa omnino ſunt; eſt enim poteſtas Principis ciuilis, politica, humana, & immediatè à iure gentium determinante, & applicante generale ius naturæ ad quædam particularia pro bono vniuſcuiuſque Reipublicæ.*

[u] Nu. 20. tui lib. parum à principio.

165 Belliſſimum, *ſcilicet*, argumentum, ac ſi ita argumentareris; Mundus hic corporeus à ſolo Deo creatus eſt, ergo mundus eſt res diuina, & ſupernaturalis. Item,

potestas ciuilis in vniuersum considerata non descendendo in particulari ad Monarchiam, Aristocratiam, vel Democratiam, immediatè est à solo Deo, vt vera Card. Bellarmini, [x] aliorumque Theologorum [y] fert opinio, ergo potestas ciuilis est res diuina, & supernaturalis. Præterea, non potest cæco visus restitui, neque surdo auditus, nisi miraculosè, & per diuinam solam potentiam, ergo facultas videndi, & audiendi sunt res diuinæ, & supernaturales. An non vides quàm fallaciter à creatione, & productione rei ad rem creatam, & productam argumenteris? Productio enim rei potest esse supernaturalis, vt patet in creatione mundi, alijsque Dei operibus, quæ quoad modum tantùm ea producendi, & non quoad substantiam sunt res supernaturales, & nihilominùs res ipsa producta in rerum naturalium ordine collocari debet. Et propterea res illæ, quæ à solo Deo, vt Auctore naturæ immediatè fiunt, qualis est potestas ciuilis, (nam potestas Ecclesiastica à solo Deo, vt Auctore gratiæ immediatè dimanat) in rebus naturalibus annumerandæ sunt.

x Lib. 3. de Laicis, c. 6.
y Victoria, & Couarru. loc. cit. Sotus lib. 4. de Iust. q. 4. ar. 1. Molin. tract. 2. de Iust. disp. 22. Nauarrus in cap. Nouit, de. iudicijs notab. 3. sæpissimè.

166 Quomodò autem vel apparen-

ter

ter hinc colligere possis, *potestatem Regiam, si à solo Deo immediatè procedat, non solùm esse diuinam, & supernaturalem, verùm etiam leges Principum esse indispensabiles, & immutabiles, ego profectò non satis intelligo.* Dispensatio quidem propriè dicta, quæ in directa legis relaxatione siue mutatione præuia materiæ consistit, est actus Iurisdictionis, & superioritatis, & propterea in legibus ciuilibus à Principe latis, nō potest nisi Princeps ipse, aut eius superior, quem præter Deum neminem in ciuilibus agnoscit, dispensare. Verùm quomodò leges Principum, si à solo Deo potestatem accipiant, *immutabiles* esse probes, cum constet leges latas à tota multitudine, cuius potestas iuxta communem Theologorum sententiam ab ipso etiam Card. Bellarmino receptam, est à solo Deo immediatè, mutabiles esse, ego sanè hanc tuam subtilitatem penetrare non valeo.

167 Quinimò non solùm legem diuinam, si purè positiua est, mutari posse nemo inficiatur, verùm etiam lex ipsa diuina naturalis, vt optimè cum S. Thoma [z] docent Theologi, tametsi non possit ita mutari, *vt quoad communia, & prima eius* [z] 2 1. 2. q. 94 ar. 5. ibiq; cæteri Theologi.

principia incipiat aliquid non esse legis naturalis, quod antea non erat, quoad præcepta tamen secundaria, quæ sunt veluti conclusiones ex primis illis principijs deductæ, lex naturalis ratione alicuius circumstantiæ variari potest.

168 Quam S. Thomæ doctrinam ita intelligunt Theologi doctissimi, [a] vt ipsa formalis ratio legis, & obligationis non varietur, sed solùm materia, in qua talis obligatio reperitur; hæc enim non semper eodem modo occurrit, cum præceptum naturale referri non debeat ad materiam absolutè, sed cum talibus circumstantijs consideratam; vt lex de non occidendo non respicit solùm occisionem hominis, sed cum hac circumstantia, vt fiat priuata auctoritate, nec in necessariam sui defensionem: sic autem ita obligat lex naturalis, vt mutari nequeat, immò nec dispensatione ipsius Dei vllo modo ei derogari possit; at verò ipsa lex naturalis, seu eius obligatio, cum in quadam conformitate, aut disconuenientia ad rectam rationem, seu ad naturam rationalem, vt rationalis est, solummodò consistat, sicut Deus pro voluntate sua non potest variare naturas rerum,

a Sotus lib. 2. de iust q. 3. ar. 8. Medina 1. 2. q. 100 ar 8. Vasquez 1. 2. disp. 179. cap. 2. & 3. Salas Tract. 14. disp. 5. sect. 9. nu. 66. & S. Thomas ita se explicat 1. 2. q. 100 ar. 8. ad 3.

rerum, ita neque etiam conuenientiam, aut disconuenientiam earum inter se, si res eodem modo permaneant, mutare potest.

169 Atque hinc apparet, quàm imperitè affirmes, *si nullus præter Deum possit Principi adimere ius suum in subditum, ita intrinsecè malum esse, subditum in ciuilibus suo Principi non obedire, sicut est blasphemare, & mentiri, quæ in nullo planè casu, nec ipsa dispensatione diuina licitè fieri possunt.* Nemo enim, qui Theologiam vel primoribus labris degustauit, adeo ignarus esse potest, vt nesciat, aliqua esse præcepta naturalia, [b] quorum materia nullo modo ratione alicuius circumstantiæ ita variari potest, vt quæ antea erat contra præceptum postea non sit, quale est præceptum non mentiendi: mendacium enim absque alia circumstantia ita malum est, vt ex nullo fine, ex nulla causa, ex nulla circumstantia rectè fieri possit. Idem de blasphemia, periurio, Dei odio, alijsque id genus dicendum est.

b Vide Theologos proximè citatos.

170 Sunt autem alia præcepta, quæ talem habent materiam, & ex tot circumstantijs constantem, [c] vt ex varijs occasionibus

c Vide Theologos proximè citatos.

nibus obligatio præcepti mutari, ac proinde ceſſare poſſit, vt contingit in præcepto non furandi; hoc enim ita intelligitur, vt nullus vſurpet rem alienam inuito vero domino. Cum autem Deus concedit licentiam, vt quis vſurpet rem alienam, iam ille non accipit ſine conſenſu domini ſupremi, qui multò meliùs eſt dominus rei illius, illamque donare cuilibet poteſt, quàm ille, qui ea vtitur, ac proinde non furatur. Idem etiam ſentiendum eſt de præceptis non occidendi, non fornicandi, atque etiam Principum ſecularium præceptis in rebus licitis, & quæ ab ipſis iure regni præcipi poſſunt, non obtemperandi: in quibus Deus non diſpenſat relaxando horum præceptorum, quæ iuris naturalis ſunt, obligationem, ſed mutando materiam, aut aliquam circumſtantiam, quæ ad hoc, vt præceptum obliget, neceſſariò requiritur.

171 Cum itaque intrinſecè malum ſit, non obedire Principi, quamdiu Princeps eſt, in ijs rebus, quas iure Principatus præcipere poteſt, ſicut intrinſecè malum eſt accedere ad mulierem non ſuam, quam tamen Deus, qui corporum ſupremus eſt Dominus, ſuam efficere valet, non poteſt

in

in hoc præcepto, de non obediẽdo Principi legitimo, dispensari, nisi ipse auctoritate imperandi vel ex toto, vel in illo particulari casu exuatur. An autem possit Princeps supremus vel per Rempublicam, cuius ipse est superior, vel per summum Pontificem, quem in spiritualibus duntaxat superiorem recognoscit, regnandi potestate priuari, est ipsamet quæstio, quam modò agitamus, quamq; tu, meo quidem iudicio, ita exiliter pertractas, vt rationes, quas affers, vix leuem probabilitatis apparentiam habeant, ad potestatem siue summi Pontificis, siue Reipublicæ ciuilis Principes deponendi comprobandam.

172 Nunc expendamus reliquas tuas rationes, quibus probare contendis, *Deum immediatè esse causam efficientem Regiæ potestatis, simul tamen cum Republica, & cum illa vt causa efficiente secunda, & completo principio collatiuo, & donatiuo eiusdem potestatis.*

Hoc, inquis, [d] *manifestum est ex duobus, primò ex varia limitatione potestatis in Principe in diuersis prouincijs, vbi Principes aliqui creantur electione, alij iure sanguinis, aliqui ex se habent potestatem condendi leges, alij* [d] Nu. 22. tui lib.

« verò non, cuius moderationis, & diuersi-
« tatis non alia causa, quàm in Republica vtì
« proximè efficiente causa Dei supremæ effi-
« cientiæ subiecta, & illam ad certum modum
« determinante.

173 Sed hæc ratio non multùm vrget. Quòd enim aliqui Reges creentur electione, alij iure hæreditario, solùm arguit potestatis titulum, seu deputationem alicuius personæ in Principem, sine qua potestas Rempublicam regendi tali personæ non conueniret, à Republica immediatè prouenire, sed quòd ipsa potestas gubernandi à Republica tanquam causa efficiente procedat, nullatenus demonstrat. Sicut etiam quòd summus Pontifex olim à Clero populoque Romano, postea ab Imperatore, aliquando à Concilio generali, & nunc à Cardinalibus eligatur, solùm indicat Pontificiæ potestatis titulum, seu applicationẽ potestatis ad certam personam ab Ecclesia dependere, sed quòd ipsa potestas Pontificia sit ab Ecclesia immediatè nequaquam probat. Pari etiam modo, vt superiùs [c] diximus, adunatio hominum ad constituendum vnum communitatis corpus à consensu hominum dependet, sed potestas Reipub-

c Nu. 162.

reipublicæ in singulas partes non pendet à consensu hominum, sed ab ipsa lege naturali immediatè procedit, & adunatio est solùm conditio, sine qua talis potestas non resultaret.

174 Quòd autem aliqui Reges ex se habeant potestatem condendi leges, alij verò non habeãt, id non necessariò prouenit ex republica vtì proxima causa efficiente potestatem Regiam, illamque ad certum modum determinante, vt tu affirmas, sed ex libera Regum voluntate oriri potest, qui, vt quieti publicæ meliùs consulerent, & populum plærunque effrenatum, & ad seditiones procliuem suauiùs, tranquilliùs, & securiùs gubernarent, nullas leges nisi consentientibus Regni Ordinibus condere in principio sua sponte decreuerunt; quas tamen, si Principes absoluti sunt, ex absoluta ipsorum auctoritate absque populi suffragijs pro bono reipublicæ, cuius supremi in terris Domini constituti sunt, sancire procul dubio possunt. Suauiùs nihilominùs sine controuersia res agitur, si cum approbatione, & applausu totius reipublicæ, quam Regni Ordines repræsentant, leges toti Regno præscribant.

175 Se-

f Nu.22. tui l. in fine.

175 *Secundò*, inquis, f *nobilissimi philosophi, vtpote Aristoteles, Cicero, & alij insignes Theologi, & Iurisconsulti, neque rem ipsam inficiatur Widdringtonus, definiunt, quando Princeps degenerat in tyrannidem, incidit in insaniam, esse in republica potestatem se, & sua defendendi, etiam Principem imperio abdicandi pro fine suo consequendo, bono nempe politico, neque Barclaius hoc vllo solido argumento improbauit. Quod si verum sit, inde euidens, rempublicam esse immediatam causam efficientem, donatiuam, & collatiuam iuris Regij. Hæc denique videtur mens*

g 1. Petr. 2. *B. Petri & Regem cum sua potestate appellantis humanam creaturam, id est, ab hominibus immediatè, efficienterq; constitutam.*

176 In quo sensu quidam Theologi, & nominatim Carerius, Aristotelem exponant, quando ait, communitatem bene ordinatam Regem punire posse, dixi in

h Nu.411. mea Apologia, h nempe *Aristotelem locutum esse de Principe non absoluto, sed qui per electionem communitatis instituitur, & auctoritatem ab ea delegatam*, (quam propterea ipsa communitas ad libitum reuocare potest) *accipit, quales sunt Principes Venetorum*, & Ianuensium.

177 Wid-

177 Widdringtonus autem, ſicut non negauit, ita neque affirmauit, Reges ob tyrannidem, aut inſaniam à republica deponi poſſe. Noluit enim ipſe, niſi planè coactus, de hac controuerſia grauiſſima, cum & periculoſa admodum ſit, & ad quæſtionem præſentem de poteſtate Papali Principes deponendi dirimendam parùm conducat, ſuam ſententiam expreſſis verbis aperire. Satis tamen apertè ibidem inſinuauit, & nunc paulo apertiùs, quoniam tu nimis inconſideratè has duas quæſtiones confundens, eum ad ſuam ſententiam proferendam compellis, (ſe in omnibus tum doctiorum cenſuræ, tum præſertim ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ iudicio quàm humillimè ſubijciens) cum omni ſubmiſſione affirmat, non ſatis ſibi hactenus conſtare, quomodò *euidenter demonſtrari* poterit, penes rempublicã temporalem eſſe auctoritatem Principes ſuos ſupremos, & abſolutos vel propter inſaniam, vel ob manifeſtam tyrannidem ſuis Regnis abdicandi.

178 Quod enim eo loco expreſſè affirmaui, idem nunc denuò repeto, atque confirmo, *multos viros doctiſſimos exiſtima-*

re

re, non esse causam legitimam Regem deponendi, quòd regimini ineptus sit, & regnum administrare non valeat, sed coadiutorem duntaxat, seu Regni administratorem, qui Regis nomine, & auctoritate reipublicæ gubernaculum teneat, pro tempore tantùm, quo regimini ineptus est, constituendi; neque tu, vt opinor, horum Doctorum opinionem vlla *firma, & efficaci ratione erroris aut falsitatis* conuincere poteris.

179 Si autem Rex in tyrannidem degenerat, certum quidem est, eum grauissimè peccare, sed simul etiam demonstrari nõ posse existimo (cum plures viri eruditi, quos ibidem retuli, contrariam sententiam amplectantur, quam ego ob tantorum virorum auctoritatem, quos à Catholicorum consortio, & sacrorum rituum participatione segregare non audeo, vt penitus improbabilem condemnare reformido) eum ab alio, quàm à suo superiore, quem præter Deum in temporalibus neminem recognoscit, iudicari, & pœna temporali coerceri posse.

180 Si enim Concilium generale Ecclesiam vniuersalem repræsentans, cum ex sententia Card. Bellarmini * non sit maius

* Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30.

summo

ſummo Pontifice, ipſum ob nullum crimen, etiam hæreſeos, iuxta eius doctrinam * deponere queat, eo quòd maior à minori iudicati non poſſit, non video qua ratione efficaci quiſpiam demonſtrare valeat Principem ſupremum, & abſolutum, qui non ſolùm ſingulis reipublicæ partibus, ſed tota etiam republica in vnum collecta ſuperior exiſtit, poſſe per rempublicam ob aliquam manifeſtam tyrannidem è Principatus ſui poſſeſſione exturbari. * ibidem.

181 Verùm de iſtis quæſtionibus altiſſimis, quæ ad iura Principum, tam temporalium, quàm ſpiritualium ſpectant, in quibus diſcutiendis, niſi viam planè rectam teneamus, in maxima præcipitia nos ruere neceſſe eſt, non videtur, meo iudicio, vel tutum, vel conueniens, niſi maxima neceſſitas vrgeat, diſputare. Neque ego, aut iſtius quæſtionis grauiſſimæ de poteſtate Reipublicæ in ſuum Principem mentionem vllam feciſſem, niſi tu hoc ſecundum fundamentum mihi falſò obiectans, & imperitè confutans, me ad tibi reſpondendũ valde imprudenter coegiſſes; aut de poteſtate Papali Principes deponendi contra Card. Bellarminum diſputationem inſtituiſſem

issem, si ipse cuiuis Catholico, quod probabilius iudicaret, opinari integrum reliquisset, neque in nouis duntaxat suorum operum editionibus, nulla prorsus de nouo ratione permotus, contrariam quorundam Catholicorum sententiam fœdissima hæresεωs labe nimis rigidè asperssisset.

182 Attamen, vt videas, quàm debile ex datis tibi principijs argumentum concludas, demus tibi disputationis gratia, quod *euidenter demõstrare* nequiueris, posse Reges ob insaniam, vel tyrannidem per rempublicam deponi; non tamen hinc *efficaciter* deducere poteris, *euidens esse, rempublicam esse immediatam causam efficientem, donatiuã, & collatiuam iuris Regij*. Qui enim potestatem Regiam à iure naturali, sed potestatis titulũ à republica immediatè prouenire defendunt, simili planè modo tibi respondere poterunt, quo Theologi Parisienses respondent, posse summum Pontificem ob crimina quædam valde scandalosa per Ecclesiæ auctoritatem Pontificatu priuari, & nihilominus non omnes concedunt, Ecclesiam esse immediatam causam efficientem, donatiuam, & collatiuam Pontificiæ potestatis. Similiter Victoria,

ria, & Couarruuias superiùs [k] relati existimant, posse Reges per Pontificem ob crimen hæresis, & forsan ob tyrannidem ciuilem per rempublicam regnandi auctoritate priuari, nolunt tamen propterea admittere, potestatem Regiam esse aut à Pontifice, aut à republica ciuili in Principes immediatè, efficienterque deriuatam. [k] Nu. 158.

183 Illud verò, quod ex S. Petro adducis, nempe *Regem cum sua potestate appellari humanam creaturam, id est, ab hominibus immediatè, efficienterq; constitutam*, potiùs concionatoris, quàm Theologi conceptio est; illudque (*cum sua potestate*) non sacræ paginæ contextus, sed vanum tui cerebri commentum est. An non subtiliter ita argumentari te credis? *subiecti estote*, inquit S. Petrus, *omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, &c. ergo Rex cum sua potestate appellatur humana creatura, id est, ab hominibus immediatè, efficienterq; constituta.* Similiter enim argumẽtari quis posset, *Omnis Pontifex*, inquit *Sanctus Paulus, *ex hominibus assumptus, &c. igitur Pontifex suam potestatem Pontificiam ab hominibus immediatè, efficienterq;* * Ad Hebr. 5.

enterá, desumit. Quapropter sicut Pontifex *ex hominibus assumptus* esse dicitur, non quia homines potestatem illi tribuunt, sed quoniam personam Pontificis designant, quæ quidem designatio est conditio, sine qua Christus potestatem Pontifici non tribueret; ita Rex *humana creatura* nuncupatur, quia ex libero hominum consensu primùm Rex creatus est, & potestatis Regiæ titulum, seu designationem in Regem ab hominibus accepit, siue respublica ciuilis, siue Deus, vt Auctor legis naturalis ipsam potestatem Regiam illi immediatè contulerit.

184 Non igitur manifestum est, vt tu asseris, potestatis regiæ immediatã causam efficientem, donatiuam, & collatiuam esse originaliter rempublicam, quin potiùs contrarium ex tuis principijs manifestè colligitur. *Iurisdictio enim*, vt ais, *non datur nisi à superiore, non est autem Ecclesia superior Pontifice, sicut neque membra capite eminentiora, inde concluditur, solam efficientem causam potestatis Pontificiæ esse Christum Dominum.* An non vides hanc tuam rationem totidem planè verbis potestati Regiæ accommodari posse? Nam respublica non est

1 Nu. 23. tui l.

Rege

Rege ſuperior, ſicut neque membra capite eminentiora, & proinde, cum iuriſdictio non detur niſi à ſuperiore, rectè ex tua doctrina concluditur, Rempublicam non eſſe cauſam efficientem Regiæ poteſtatis. Quòd ſi de Rege loquaris, antequam in Regem deſignetur, quo pacto Reſpublica eſt procul dubio Rege ſuperior, idem quoque de Pōtifice dicendum eſt, ipſum Pontificem, antequam in Pontificem deputetur, Eccleſia ſuperiorem non eſſe, ſed illi, tanquam filium matri, in ſpiritualibus ſubiectum. Vides itaque quàm pulchram rationem tumetipſe attuleris ad ſententiam tuam de immediata cauſa Regiæ poteſtatis optimè refellendam.

185 Hac igitur tua indocta meæ Apologiæ confutatione in caput tuum retorta, iam tandem huius tui libelli concluſionem audiamus. Ita ergo peroras.

m *Atque hæc habes chariſſime, quæ pauculis horis deſcripta de hac re tota iudicium meum tibi aperirent; non enim hiſtoriam, & res geſtas ſummorum Pontificum huc adferre volui, ſed ea ſolum communia principia in medium adducere, quæ à nullo Catholico iure negari poſſe videantur, atque inde in ſententiam veritatis* m Nu. 24. tui lib.

quàm breuißimè veluti per capita, & ſtrictim diſſerere mihi fuit inſtitutum. Atque poſt paucula de iuramento fidelitatis per modũ querimoniæ inſerta, ita libellum tuum concludis, *Vale chariſſime, & multum honorande, atque iſtis fruere ſicut apud te conſultũ fuerit.*

186 Si tuus iſte libellus, quem ego plurimis horis tranſcribere vix potui, ſicut pauculis horis deſcriptum eſſe ais, ita pauculis quoque horis à te confectus fuerit, vtrùm tam immaturum animi tui fætum ita intempeſtiuè abigendo, & illum in publicum prodire, ſi ita amico tuo expedire videretur, permittendo, conſideratè, prudenterque egeris, viris prudentioribus iudicandum relinquo, *Hiſtorias, & res geſtas ſummorum Pontificum huc adferre noluiſti*, quibus tamen poteſtatem hanc ſpiritualem Principes ſuis dominijs priuandi potiſſimùm ſuſtentari nimis manifeſtum eſt. Nam ſi à Pontificum factis abſtrahere volueris, neque ſacrarum literarum auctoritas, neque ſanctorum Patrum teſtimonia, neque aliqua Eccleſiæ definitio, nec ipſa ratio naturalis vllum ſufficiens pro hac poteſtate argumentum tibi ſuppeditabunt, vt

ex ijs, quæ in mea Apologia ad rationes Card. Bellarmini respondi, satis euidenter apparet; quæ impugnandi quoniam tu, viribus tuis fortasse diffisus, spem omnem perdideras, ad alia subsidia confugere consultius esse iudicasti, *& ea solùm communia principia in medium adducere* prætendis, *quæ à nullo Catholico iure negari posse videantur, atque inde in sententiam veritatis quàm breuissimè per capita, & strictim disserere tibi fuit institutum.*

187 Qualia principia adduxeris, & an talia sint, quæ à nullo Catholico iure negari possunt, iam satis, ni fallor, exploratum habes. Nam, vt ex supradictis facilè constat, sunt ex illis quædam euidentissimè falsa, scandalosa, & supremis Principibus iniuriosa: Alia valde dubia, incerta, atque solùm in hominum opinione posita: Cætera, si vera sint, ad controuersiam tamen, quæ inter nos instituitur, de potestate Papali Principes abdicandi dirimendam, nihil prorsus conducunt. An autem ex principijs falsis, dubijs, aut tametsi veris, cum quæstione tamen, quam probare instituis, minimè connexis, conclusionē *de fide certam* deducere valeas, ad notissimam Dia-

lecticorum regulam, quæ non maiorem certitudinem conclusioni, quàm præmissis attribuit, temetipsum remitto.

188 Denique, vt exulceratam tuam conscientiam patefacias, *Pupugit te*, [n] ais, *licet & id antea perspexeras, quod sæpiùs inculcat Widdringtonus ex Trithemio asserente, disputationem hanc de summi Pontificis auctoritate in temporalia non esse definitæ, certæque veritatis, adhuc litem ad Iudicis tribunal pendere*. Si sola Trithemij auctoritas te pungit, (cum tamen ego plures alios cum Trithemio consentientes, quibus pungi meritissimè poteris, in mea Apologia attulerim) quare illi nullam penitus responsionem adhibes? cur aculeum istum, quo te pungi profitetis, menti tuæ, Lectorisque tui animo infixum adhuc relinquis? An non te etiam pungit auctoritas Petri Pithæi, *viri*, teste Possevino, [o] *verè eruditi, & antiquitatis sedulì perquisitoris*, qui ait, *non posse summum Pontificem Regem Franciæ suo Regno priuare, aut alio quouis modo disponere, neque subditos ab obedientia, pro temporalibus Regi debita, absoluere?* Quid dicis ad Cardinalem de Pelleue, cæterosque Franciæ Prælatos in generali Ordinum cõuentu

n Nu. 25. tui libelli.

o In Apparatu, verbo, Petrus Pithæus.

uentu Parisijs congregatos, qui decretum illud Concilij Tridentini, in quo permissio duelli Regibus interdicitur, recipere noluerunt, quia, vt inquiunt, *est contra auctoritatem Regis, qui non potest priuari suo dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem recognoscit?*

189 Quid ais de Ioanne Parisiensi affirmante, *Excommunicationem, vel aliam similem pœnam spiritualem esse vltimam, quã Iudex Ecclesiasticus inferre potest, qui tametsi habeat homines in Deum reducere, & à peccato retrahere, hoc tamen non habet nisi secundùm viam à Deo sibi datam, quæ est separando à Sacramentis, & participatione fidelium?* De Iacobo similiter Almaino asserente, *potestatem Ecclesiasticam non posse mortem, exilium, bonorum priuationem, &c. aut vllam talem pœnam ex institutione diuina infligere, immò nec incarcerare, vt plerisque Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extendi, vtputa Excommunicationem; reliquas autem pœnas, quibus vtitur, ex iure purè positiuo esse?*

190 Nonne testimonium nostri Alexandri de Hales, testis profectò irrefraga-

bilis, omniq́ue exceptione maioris [p] conſcientiam tuam meritò ſtimulat, qui docet, *Regem eſſe quidem ſummo Pontifici ſubiectũ, ſed quoad pœnam, ſeu vindictam ſpiritualem, non corporalem, & materialem, qua vindicta, ſi delinquat, non habet, qui eum puniat niſi Deum?* Mitto Guilielmum Barclaium in ſuis libris de Regno Pariſijs cum priuilegio Regis Chriſtianiſſimi impreſſis, Cardinalem Cuſanum, Albericum, Sigebertum, Nicolaum Papam, Ioannem Papam, S. Auguſtinum, alioſq́ue complures in mea Apologia citatos, quorum ictus, cum ſola Trithemij auctoritas te pungat, quomodo declinare valeas, ego ſatis perſpicere non poſſum. Sunt enim omnes viri Catholici, atque non tam ſingulari doctrina, quàm probitate præditi; quorum animæ, cum iam per Dei miſericordiam in pace requieſcant, an non continuis conſcientiæ ſtimulis cruciari promereris, qui eorum exiſtimationi tam enormiter detrahere non reformidas, & ex communibus tantùm principijs, ijſq́ue, aut falſis, aut dubijs, aut ad rem non pertinentibus, eos, eorumq́ue ſequaces *hæreſeωs*, ac *Ethniciſmi condemnare*, atque alijs, prout conſultius

p *Nam & Doctoris irrefragabilis cognomen accepit, ſuamque Theologiæ ſummam* (in qua hæc verba habentur) *Innocentij quarti conſtituit, quam poſtea Alexander quartus diplomate, & ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis comprobauit.* Poſtquinus in Aggratu, verbo, Alexander Halenſis.

tius iudicarent hanc tuam censuram euulgandi potestatem facere non perhorrescis.

191 Postremò, vt finem tecum exposturandi faciam, *tu te Regi nostro serenissimo fidelissimè subditum* appellas, q vide igitur vt in posterum opere compleas, quod verbo professus es, Cæsari reddes, quæ sunt Cæsaris, & quæ sũt Dei, Deo. Sicut enim *honor Regis*, teste Prophetar, ita & Pontificis, *iudicium diligit*, & propterea, cum vtrique in supremo subiectionis gradu subditus sis, ita te vtrumque venerari oportet, vt ex nimio erga vnum affectu, alteri, quod suum est, nequaquam surripias. Sacerdos es, & Theologiam profiteris, caue, ne deinceps ob humanum aliquem respectum, auramve popularem, aut conscientia, aut scientia tua abutaris, neque in charitatis legem tam facilè commitras, vt viros Catholicos, quique pro fide Catholica tuenda durissima quæque perferre, æquè ac tumetipse, paratissimi sunt, hæreseos, aut *Ethnicismi* nimis temerè condemnes.

q Ad finem tui libelli.

r Psal. 98.

192 Egosanè me Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filium, tametsi indignissimum, esse profiteor, eiusque iudicio memet in omnibus quã humillimè subijcio, & quic-

quid ipsa de fide credendum fidelibus proponit, libentissimè amplector: omnem hæresim, atque Ethnicismum, quam ipsa talem esse definit, quàm maximè detestor; non tamen omni illi doctrinæ, quam vel Card. Bellarminus, pace eius dixerim, vel alius quicunq; Doctor, cùm certa fidei nostræ regula à Deo constituti non sint, Catholicam esse, vocem Ecclesiæ esse, Conciliorũ sensum esse proclamant, si præsertim aliqui Doctores Catholici contrarium sentiant, indubitata fide assentior. Illos quidẽ vt par est, debita veneratione suspicio, ipsorumque auctoritati plurimùm attribuo; attamen, vt hanc meam ad tuas falsas criminationes responsionem cum S. Augustino concludam, *Ego solis* [f] *eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

[f] Epist. 19. ad Hieron. tom. 2.

EX

EXEMPLAR LITERARVM CVIVSDAM DOCTORIS THEOLOGI, IN quibus ROGERI WIDDRINGTONI pro Iure Principum Apologiam tanquam fidei Catholicæ apertè repugnantem, atque Ethnicismum sapientem, falsò, indoctè, & seditiosè criminatur.

Charissime, & multùm honorande.

Accepi non ita pridem à te literas, in quibus à me obnixè contendis, quidnam sentiam de Rogeri Widdringtoni Apologia, adeoque de re ipsa tota, ac controuersia tibi significarem. Agnoscens summum illud ius tui in me acquieui postularis, haud ignarus tamen nullam subesse causam, ob quam iudicium meum magni æstimares, vel tua multum referre, vti illud à me resciscas. Quale autem sit, quoniam id à me poteris

tuo

bilis, omniq́ue exceptione maioris [p] conscientiam tuam meritò stimulat, qui docet, *Regem esse quidem summo Pontifici subiectũ, sed quoad pœnam, seu vindictam spiritualem, non corporalem, & materialem, qua vindicta, si delinquat, non habet, qui eum puniat nisi Deum?* Mitto Guilielmum Barclaium in suis libris de Regno Parisijs cum priuilegio Regis Christianissimi impressis, Cardinalem Cusanum, Albericum, Sigebertum, Nicolaum Papam, Ioannem Papam, S. Augustinum, aliosq́ue complures in mea Apologia citatos, quorum ictus, cum sola Trithemij auctoritas te pungat, quomodo declinare valeas, ego satis perspicere non possum. Sunt enim omnes viri Catholici, atque non tam singulari doctrina, quàm probitate præditi; quorum animæ, cum iam per Dei misericordiam in pace requiescant, an non continuis conscientiæ stimulis cruciari promereris, qui eorum existimationi tam enormiter detrahere non reformidas, & ex communibus tantùm principijs, ijsq́ue, aut falsis, aut dubijs, aut ad rem non pertinentibus, eos, eorumq́ue sequaces *hæreseos*, ac *Ethnicismi condemnare*, atque alijs, prout consultius

p *Nam & Doctoris irrefragabilis cognomen accepit, suamque Theologiæ summam* (in qua hæc verba habentur) *Innocentij quarti consensit, quam postea Alexander quartus diplomate, & septuaginta virorum Ecclesiasticorum syngraphis comprobauit.* Posteuinus in Apparatu, verbo, Alexander Halensis.

tius iudicarent hanc tuam censuram euulgandi potestatem facere non perhorrescis.

191 Postremò, vt finem tecum exposturandi faciam, *tu te Regi nostro serenissimo fidelissimè subditum* appellas,[q] vide igitur vt in posterum opere compleas, quod verbo professus es, Cæsari reddes, quæ sunt Cæsaris, & quæ sũt Dei, Deo. Sicut enim *honor Regis*, teste Propheta[r], ita & Pontificis, *iudicium diligit*, & propterea, cum vtrique in supremo subiectionis gradu subditus sis, ita te vtrumque venerari oportet, vt ex nimio erga vnum affectu, alteri, quod suum est, nequaquam surripias. Sacerdos es, & Theologiam profiteris, caue, ne deinceps ob humanum aliquem respectum, auramve popularem, aut conscientia, aut scientia tua abutaris, neque in charitatis legem tam facilè commitras, vt viros Catholicos, quique pro fide Catholica tuenda durissima quæque perferre, æquè ac tumetipse, paratissimi sunt, hæreseos, aut *Ethnicismi* nimis temerè condemnes.

[q] Ad finem tui libelli.

[r] Psal. 98.

192 Ego sanè me Ecclesiæ Catholicæ Romanæ filium, tametsi indignissimum, esse profiteor, eiusque iudicio memet in omnibus quã humillimè subijcio, & quic-

quid ipsa de fide credendum fidelibus proponit, libentissimè amplector: omnem hæresim, atque Ethnicismum, quam ipsa talem esse definit, quàm maximè detestor; non tamen omni illi doctrinæ, quam vel Card. Bellarminus, pace eius dixerim, vel alius quicunq; Doctor, cùm certa fidei nostræ regula à Deo constituti non sint, Catholicam esse, vocem Ecclesiæ esse, Conciliorũ sensum esse proclamant, si præsertim aliqui Doctores Catholici contrarium sentiant, indubitata fide assentior. Illos quidẽ vt par est, debita veneratione suspicio, ipsorumque auctoritati plurimùm attribuo; attamen, vt hanc meam ad tuas falsas criminationes responsionem cum S. Augustino concludam, *Ego solis* [f] *eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid erraſſe firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

[f] Epist. 19. ad Hieron. tom. 2.

EX

EXEMPLAR LITERARVM CVIVSDAM DOCTORIS THEOLOGI, IN quibus ROGERI WIDDRINGTONI pro Iure Principum Apologiam tanquam fidei Catholicæ apertè repugnantem, atque Ethnicismum sapientem, falsò, indoctè, & seditiosè criminatur.

Charissime, & multùm honorande.

ACcepi non ita pridem à te literas, in quibus à me obnixè contendis, quidnam sentiam de Rogeri Widdringtoni Apologia, adeoque de re ipsa tota, ac controuersia tibi significarem. Agnoscens summum illud ius tui in me acquieui postulatis, haud ignarus tamen nullam subesse causam, ob quam iudicium meum magni æstimares, vel tua multum referre, vti illud à me resciscas. Quale autem sit, quoniam id à me poteris

tuo

tuo iure vendicare, istis quàm breuissimè, & quasi raptim per rerum capita discurrente stilo expressum habeas. Fama accepi de hac ipsa quæstione præclarè scripsisse Illustrissimum Cardinalem Bellarminum, & alium Ordinis Augustiniani Religiosum, quorum opera videre nondum mihi licuit: quod verò in me erat, & in promptu hac de re animo complexum, exaratum nunc ad te mitto, nostræque amicitiæ dicatum volo.

2 Duo sunt præcipua fundamenta, quibus innixus Widdringtonus impugnat Ecclesiæ potestatem ad deponendos Principes, qui hostes sunt Ecclesiæ. Primum in hoc collocatur, quòd iudicet Ecclesiæ potestatem ita esse merè spiritualem, vt non alia obiecta seu media habeat ad consequendum, & protegendum suum finem spiritualem constantem ex gratia Dei, & virtutum muneribus in hac vita, atque ex vera beatitudine in altera, nisi eadem analogia purè spiritualia, vtpote verbi prædicationem, administrationem sacramentorum, Excommunicationem, atque censurarum districtiones. Ex quo concludit, non posse summum Pontificem aliter animaduertere

maduertere in Principem delinquentem hæresi, vel apostasia, impedientemque finem dictum spiritualem Euangelij, nisi in ipsum edicendo sententiam Excommunicationis, alteriusve censuræ, vel opera pietatis exercendo, vnde sperari possit diuini numinis fauore reuocandum quandoque ad saniorem mentem.

3 Alterum in hoc positum videtur, quòd reputet secum Iuramentum fidelitatis Principi præstitum esse indispensabile, & non obedire in ciuilibus esse vsque adeo in subdito intrinsecè malum, vt ex nullo honesto fine, aut euentu, vllove in terris imperio possit virtute, ac rectitudine moris insigniri. Atque hinc elicit non posse puniri Principem damno temporali quantumuis hæreticum, vel atheum, nisi à solo Deo; neque proinde posse Pontificem illi adimere imperium in iuratos subditos, vel hosce absoluere à vinculo Iuramenti suscepti ab ipsis.

4 Hæc duo fundamenta, præterquàm quòd *Ethnicismum mihi videntur sapere*, atq; in lucem nostræ ætatis reuocare obsoleta veterum Imperatorum numina nulla lege, aut iure coercenda, quantumuis insanire

nire,& in genus humanum illis furere libitum fuerit,Ecclesia interim adducta in euidentissimum periculum, & quasi obiecta in prædam malorum Principum auiditatibus, insuper *fidei Catholicæ veritati apertè repugnare* apud me exploratissimum;quod singillatim, ac seorsim istis ostendere aggrediar.

5 Potestas Ecclesiæ, siue summi Pontificis,sine dubio spiritualis est,& diuinitùs impertita, non naturæ, aut iuris gentium virtute aliqua propagata;quocirca absolutè, & simpliciter nominanda spiritualis, quandoquidem à Christo Domino per illam suam potestatem excellentiæ,quæ spiritualis, in summum Pontificem Petri successorem collata. Haud tamen ignoro istam potestatem Pontificiam ab aliquibus temporalem appellari ratione nomenclaturæ desumpta ab obiecto,quod interdum temporale. Verùm huiusmodi nuncupatio oritur ex denominatione quadam extrinseca desumpta ab obiecto, quod est interdum temporale, vt postea constabit. Cæterùm sicut ipsa potestas in se formaliter considerata, & vt est principium efficiens suorum actuum,ac munerum, est spiritualis,neque

aliter

aliter fertur in temporalia, nisi vt conducunt in finem spiritualem, idcirco iuxta potiorem, & principaliorem considerationem istius potestatis dicenda omnino spiritualis, in temporalibus licet occupata. Atque hæc dicta sint, vt euitetur amphibologia, & æquiuocatio vocum, omnisque controuersia, quæ de nomine moueatur.

6 Hæc tamen potestas non est ita spiritualis, quasi non sit occupanda circa temporalia, vt euidenter constat ex Scripturis. Etenim Apostoli ex diuino iure accepêre à Christo Domino potestatem eundi, & intrandi in omnes terræ regiones, illis verbis expressam: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Mat. 28. Marc. 16. Atque hæc eadem potestas tanquam sementum spirituale adhuc reperitur in Ecclesia, & in summo Pontifice, mittendi Sacerdotes, & verbi præcones in exteras nationes ad prædicandum, & baptizandum, & id de fide est prorsus indubitatum. Vnde certum quoque posse hos ita missos intrare in regna quæuis, & prouincias, ibi manere, seipsos alere, vestire, aquam sibi comparare ad baptizandum vi iuris diuini, etiamsi Principes eorum locorum

rum

rum ſuis legibus, & edictis repugnarent. Hinc etiam conſequens, eodem iure poſſe, ac debere ſubditos iſtorum locorum eoſdem viros Apoſtolicos benignè accipere in ſuas domos, fouere, alere, veſtire ſuis expenſis, vt modò in Anglia fit, licet Principes contrarium iuberent. Quòd ſi Principes ex ſolo affectu in Ethniciſmum, Turciſmum, aut hæreſim, impugnarent innocentiam iſtorum eos occidendo contra ſacramentum Clericatus, exturbando contra ius diuinum, & Eccleſiaſticum, quo ibi manent, aut prohibendo ne audiantur eorum conciones, ne excipiantur in ſubditorum ædes, aut ne illis aqua concedatur ad baptizandum volentes baptizari; ſicut eiuſmodi Principum reſiſtentia eſſet impia, iniuſta, ita leges inde latæ in rebus temporalibus non obligarent ſubditos, ſed innocentia, & poteſtas iſtorum Euangelicorum hominum iure Eccleſiaſtico delato in temporalia, ab ipſis, vel etiam exteris defendi poteſt, ac interdum debet.

7 Verſari porrò Eccleſiæ ſpiritualem poteſtatem circa temporalia fide conſtat ex ipſis priuilegijs exemptionum, quibus gaudent Clerici. Nam huiuſmodi exemptio

tio conceditur vel iure diuino à Christo Domino declarato, cùm Petro dixerit, *ergo liberi sunt filij*, soluti nempe à pensitatione vectigalis, atque in vniuersum à subiectione legis ciuilis coercitiua, vt præclarissimè Theologi cum B. Augustino arbitrantur, vel iure Ecclesiastico propter bonum religionis, spiritualis potestas, qua pollet Ecclesia, potest illos eximere, vt constat ex Concilio Chalcedonensi, & Lateranensi. Sicut ergo de fide est propter bonum, & honorem deferendum religioni, iure posse Ecclesiam Clericis priuilegia exemptionum attribuere, scilicet ne Clerici trahantur ad fora secularia, neve puniantur à seculari Magistratu, ita eadem fide stabilitum spiritualem Ecclesiæ potestatem se extendere ad temporalia, non etiam requisito Principum temporalium consensu, immò tametsi vi, & armis aduersarentur. Fit verò exemptionis iure hominem, qui priùs tenebatur comparere coram Magistratu ciuili, iam non obligari, qui priùs in militiam iure ciuili à Principe adscribi poterat, iam non esse communi iure adscribendum: quæ omnia temporalia sunt, ergo de fide certum spiritualem Ecclesiæ potestatem

Mat. 17.

Aug. l. qq. Euang. q. 23.

Chalced. Can. 9. Lateran. 3. Geg. l. 1. epist. ep. 133. 147.

sibi

sibi subiectam habere rem temporalem pro bono finis spiritualis. Quòd si quis ausus esset infirmare dicta Concilia, quæ huiusmodi priuilegia concessisse in rebus temporalibus, excessisse vim, & modum potestatis spiritualis in Ecclesia, meritò habendus pro hæretico: veluti si diceret Ecclesiam in moribus errasse, ac Regum iuri contra æquitatem detraxisse: tametsi verò Principes in hæc ipsa priuilegia consenserint, nihilominus nulla facta mentione Principum, Conciliorum Canones, & Patrum dicta ea absolutè præscribunt, ac iubent, quod argumento est, sufficientem esse de se Ecclesiam pro bono religionis ad stabilienda ea priuilegia in temporalibus.

8 Porrò Saluator noster in certo casu dedit etiam priuatis potestatem in famam alterius, multo magis eandem suæ Ecclesiæ summo Pastori concessisse existimandum. Mat. 18. *Dic Ecclesiæ*, ait Christus, perinde ac si ita loqueretur, si frater tuus tibi iniuriam aliquam intulerit, priuatamque admonitionem contempserit, publicè eum accusa, & traduc vt malefactorem. Habet itaque Ecclesiæ potestas spiritualis sub se famam delin-

delinquentis, quæ quidem fama est res temporalis, ergo de fide stabilitum spiritualem Ecclesiæ potestatem peruadere ad rem temporalem; Immo adiungit Christus, *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã Ethnicus, & publicanus*, ergo fide exploratum posse Pontificem statuere, quis sit habendus pro ethnico, & publicano. Haberi autem pro ethnico, & publicano est res temporalis, vtpote pœna temporalis delinquentiũ. *Quod si oculus tuus dexter*, inquit Christus, *scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, & si pes tuus te scandalizat, amputa illum*; oculus autem, & pes, quæ homini iure naturæ charissima, non solum significant propensiones naturæ depravatæ, vel affectiones appetitus concupiscibilis, & irascibilis, sed in vniuersum obiecta, & occasiones nociuas respectu animæ alioquin amabilia, vtpote patrem, matrem, sorores, fratres, superiorem sollicitantes nos ad malum, qui in certis casibus vt oculus, & pes eruendi, amputandi: ergo est in summo Pontifice spiritualis potestas eruendi spiritualiter hosce oculos, & amputandi pedes, qui homines ducunt in vitia, hoc est, separandi aliquos à suis amicis, & superioribus

quantum ad domesticum conuictum, adeoque ciuile commercium, si id fuerit animæ bono necessarium, quod quidem genus disciplinæ amputatione, & effossione constans, rerum temporalium naturis continetur. Atque verbis Euangelistæ Ioannis hoc ipsum videtur expressum, dum istos adloquitur commorantes cum malis,
Apoc. 18. & hostibus fidei, *Exite de illa populus meus*, scilicet de Babylone, quod sine dubio intelligitur de secessione corporali, separationeque ciuili: potest ergo spiritualis summi Pontificis potestas precipere aliquibus hunc discessum, & digressum à Superiore quocunque hæretico, vbi ipsorum animæ ex ciuili necessitudine periclitantur, quod nihil est aliud, quàm rem temporalem imperare. Hoc ipsum probant quoque verba
Tit. 3. 2. Ioh. 1. Cor. 5. Apostolica, quibus denuntiatur, hæreticos, & notoriè malos deuitandos, haud admittendos in domum, non esse cum illis cibum sumendum, neque salutationis voce, vtpote Aue, compellandos. Cum itaq; hæc prohibita, nempe admissio in domũ, salutatio dicendo Aue, abdicatio cõsortij, repudium mensæ, sint res temporales, atq; ad ipsum Pontificẽ pertineat declarare, quis

sit

sit hæreticus, quis notoriè malus, ac proinde deuitandus, quis non admittendus in domum, quis non salutandus verbo Aue, vel honorandus, cum quo non sit vescendum, fide clarum est, potestati eiusdem Pontificis spirituali res temporales subijci pro bono fidei, & religionis.

9 Literæ quoque Apostolicæ quædã alia particularia designant, ex quibus euidens est iuxta fidem, spiritualem Pontificis potestatem sese extendere posse ad temporalia. Dicit Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, vnde elicitur sensus ab Ecclesia, posse summum Pontificem temporalia quædam præscribere, & alia prohibere respectu Cleri addicti sacris rebus ex voto, & vitæ genere; vtpote quando prohibet, ne Clerici exerceant mercaturas, aut quæstum consectentur ex certis vitæ negotijs, ne sese misceant in causis pertinentibus ad sanguinem, ne artem medicam aut chirurgicam profiteantur, ne militiam in se suscipiant, ne vestes induant vulgares, aut alias quàm à sacris Canonibus constitutas, ne appellationem faciant ad tribunalia ciuilia; atque teste B. Cypriano, in Ecclesia primitiua Concilij Aphri- 2. Tim. 2.

cani canone erat Sacerdotibus interdictum ſuſcipere in ſe curam pupillorum, adeoque ex teſtamento deligentes Sacerdotes ad hoc munus puniuntur legis iuſſu carituri ſuffragijs, quæ mortuis ad altare impendi ſolent, dicentibus Concilij illius Aphricani Patribus, indignum eſſe illum, pro quo oretur ad Altare, qui Sacerdotem auocare voluit à ſacris occupationibus, & Altari debitis officijs. Hinc ergo ex fide manifeſtum ſpiritualem ſummi Pontificis poteſtatem complecti in ſe vti proportionatam materiam res temporales. Nam quid aliud ſunt genus veſtium, vitæ qualitates, tutorum deſignationes, auocationes à turbis, & rebus mundi, quàm temporalia ſubiecta tam foro Eccleſiæ, quàm foro ciuili, ex diuerſo tamen fine, & inſtituto? Vlteriùs oſtendit B. Paulus iure diuino eſſe in Eccleſia Dei poteſtatem diſpenſandi in voto, ac promiſſione vxoria, atque dirimendi ex parte eius aliquid, quod alioquin, & ante certum euentum iure naturæ, & ciuili, obligationem in conſcientia obtinebat, vtpote quando ex ſententia ſummi Pontificis coniunx, quæ abſque fidei diſpendio habitare non poterat cum marito infideli,

ſoluitur

soluitur à sua promissione matrimoniali, quantum ad thorum, & cohabitationem domesticam, & libera manet ad discedendum; qui quidem discessus, & negatio thori, & cohabitationis, sunt res temporales, ergo fide patet spiritualem Papæ potestatem idoneam sibi habere rem temporalem, immò iure naturæ aliàs debitam, vti materiam & obiectum, quam etiam interdum dissoluat, & in qua dispensęt pro bono fidei, & religionis.

10 Idem Apostolus causam agens Onesimi apud eius dominum Philemonem, qui licet aliquando erat inutilis, immo fortassis nociuus, & iniurius Philemoni, susceptum tamen in ipsius patrocinium declarabat immunem ab illis, quæ alioquin ipse Philemon poterat infligere, & omnino liberatus à seruitute, qua ante baptismum tenebatur. Dicit enim Apostolus Paulus potestatem spiritualem acceptam à Christo se obtinere, qua iubeat Philemonem excipere reducem Onesimum non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrē, & immunem esse iam ab omni satisfactione, cui ex culpa quandoque obnoxius. *Si autem aliquid tibi nocuit, aut debet, hoc* Philem. 1.

mihi imputes. Potestatẽ hanc in se agnoscit Apostolus circa tẽporalia spectãtia ad Onesimum, nõ vt temporalia, neq; in ordine ad temporalẽ finem, sed pro bono fidei, & religionis. *Propter quod multã fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatẽ magis obsecro*; significans se nolle vti auctoritate sua Apostolica, quam innuit, sed potius obsecratione, charitati Philemonis multùm tribuens. Atque ad significãdas hasce duas potestates, vnam qua in spiritualibus vt Princeps imperare posset, alteram qua frater charitate prævaliturus dicit: *sine consilio autem tuo nihil volui facere.* Est itaque potestas in summo Pontifice circa seruitutem, & debita pro bono fidei, & religionis; adeoque fide ipsa exploratum spiritualem Pontificis potestatem respicere vti sibi subiectam rem temporalem. Atque ex ipso iure Ecclesiastico idem Apostolus asserit se habere potestatem in temporalia, nempe exigendi mercedem temporalem ad vitam sustentandam pro ministerio suo spirituali ad altare, *Sed non vsi sumus*, inquit, *hac potestate.*

11 Denique hoc ipsum liquet euiden-

ter

ter ex varijs constitutionibus Ecclesiæ circa temporalia: vtpote quando certæ causæ, ac lites eximuntur iure canonico tribunali ciuili, & transferuntur cognoscendæ, & dijudicandæ ad forum iurisdictionis Ecclesiasticæ; sicuti constat in causis decimarum, testamentorum, dotum, pupillatus, quæ ideo addicuntur tribunali Ecclesiæ à summo Pontifice, vt pro bono iustitiæ tutandæ, innocentiæ, fidei, & religionis in illis æquiùs à Iudice Ecclesiastico procedatur; quæ cùm naturis suis sint temporalia, eadē subiecta esse spirituali potestati summi Pontificis fide liquet. Nisi quis velit dicere errasse Ecclesiam Dei hucusque, sua praxi plus iusto sibi iudicasse, falsum pro vero populo obtrusisse, quæ omnia dicta, vel cogitata sunt hæretica. Huc etiam spectant Pontificiæ dispensationes, commutationes in promissis, votis, & iuramentis, & irritationes contractuum nonnullorum alioquin ciuilium vi Iuris Canonici, in quæ potestatem retinere fide est indubitatum; nisi quis reputet hæreticum non esse, affirmare Ecclesiam errasse in moribus, & docuisse populum contra virtutem obedientiæ, & religionis, Deo, & Principibus repugnare.

pugnare. Cum itaque hæc temporalia sint, fidei scitum est temporalia subdi spirituali summi Pontificis potestati. Quo in genere illustris est à Gregorio Magno correctio legis editæ à Mauritio Imperatore vetante implicatum negotijs secularibus ingredi in Ordinem monachorum, vel milites eorũ stipulatione facta ad certum tempus militiam exercendi, idem vitæ sequi institutum. Nam sanxit posse eiusmodi iuratum militem, & implicatum secularibus admitti in monachum, vouereque religionem monasticam etiam ante expletum tempus lege Imperatoria præfixum, quod factum pro bono religionis, & fidei, ne secularis vitæ genus impediret perfectionem ex virtute, & cultu Dei. Atque ex hac ipsa Ecclesiæ potestate spirituali descendit illa prohibitio Pontificia, qua non obstante quocunque voto, promissione, iuramento, Principis iussione, vetitum absque licentia summi Pontificis omnibus Christianis peregrinari in terram sanctam. Quum enim multi paupertate coacti, vel à suis vagabundi malè tractati à Turcis, alijsque de causis fidem in Christum in illis locis abnegarent, ad hoc malum euitandum Romani

Greg. lib. 7. Indict. 1.

Pontifices definierunt, nemini integrum eò ire sine Apostolicæ Sedis concessione. Eodem modo prohibent Pontifices mercaturam cum Turcis quoad arma, vel naufragorum bona rapere, idque pro bono fidei, & religionis. Probatum itaque maneat ex fidei dogmate manifestum esse, spiritualem summi Pontificis potestatem habere pro materia subiecta temporalia, non quidem vt temporalia, vtpote in suis naturis considerata, vel vt iussa, & prohibita à Principibus secularibus, vel relata ad temporalem in republica tranquillitatem vt finem; sed vt subsunt hisce duobus respectibus, conducendi scilicet ad finem virtutis, vel abducendi homines à virtute, destinando eos ad vitia, ideoque vt dimissa spirituali Ecclesiæ potestati iudium illam conditionem, & qualitatem, quam fines, nempe virtutes, & vitia habent, quæ non sunt temporalia, sed æterna, propria, directa, data que Ecclesiasticæ potestatis obiecta. Priusquam autem aggrediar alterum membrum probare, ex dictis deducam aria Corollaria, atq; ita demum ex demonstrato primo membro, atq; corollarijs, illud secundum membrum confirmabo.

12 Primum Corollarium sit, spiritualem Ecclesiæ potestatem sese extendere ad temporalia in vniuersum, vt subsunt duobus dictis respectibus, auocandi à bono virtutis, & conducendi ad bonum virtutis. Nam summus Pontifex directè pro munere suo accepit à Christo Domino ius suis ouibus præcipiendi actus externos virtutum, (vti facit mandando ieiunia, occasiones continentiarum, & Dei cultum) & prohibendi actus externos vitiorum, aut conducentes ad vitia: proinde prout est Pastor, sub istis respectibus comprehensa habet temporalia, vtpote suæ iurisdictionis obiecta. Hoc enim iure in temporalia fretus summus Pontifex mittit Apostolicos viros ad regiones infidelium, vt ibi maneant, alantur, foueantur à subditis, baptizent, concionentur, atque vt vel inuito Principe isti Apostolici viri ius habeant ibi habitandi, & munere sacro fungendi, ita subditi inuito Principe possint, ac debeant illos audire, & amicè tractare, etiam ex iure diuino illis necessaria suppeditare, eo quòd hæc temporalia conducunt ad virtutes, & vitam æternam: quamobrem potestate Ecclesiastica ita sunt exempta à secu-

Hug. lib. 1. epist. 42.

lari

lari potestate, vt in ea nihil iuris retineat Princeps secularis. Atque idem iudicium est de alijs recensitis rebus temporalibus numero 6. 7. 8. 9 10. eo quòd sint aut conductiua ad bonum virtutis, aut auocatiua, vt ita loquar, à bono virtutis; ac proinde eodem iure, quo potestatem obtinet summus Pontifex in virtutes, & vitia, subiecta habet temporalia, vtpote actus humanos, & res istius mundi, ea præcipiendo, vel prohibendo vt conducentia, vel auocatiua à suo fine spirituali. Exceptio tamen hîc est interserenda. Nam si contingat actum aliquem humanum, vel omissionẽ eius esse ita intrinsecè malam moraliter, veluti sunt mentiri, peierare, blasphemare, rebellare seditiosè, ita vt nullo fine virtutis possint honestari, tunc licet conducant physicè, aut moraliter ad finem bonum, & auocent à fine praua, non tamen possunt præcipi, aut prohiberi à Pontifice, tum quia Pontifex non potest præcipere peccatum, tum quia non est faciendum malum, vt inde eueniat bonum, iuxta Apostoli sententiam. Rom. 3. Quapropter si omissio obseruandi illud quod in temporalibus Princeps mandat, sit malum ab intrinseco in genere moris, hone-

honestari non potest, aut præcipi à summo Pontifice. Similiter si illud quod præcipit Pontifex in temporalibus repugnante imperio Principis, aut eius lege sit ab intrinseco malum, honestari non potest fine appositio ab ipso Pontifice, atque ideo nec præcipi. Sin verò omissio obseruantiæ erga Principem in rebus temporalibus ex vna parte non sit mala ab intrinseco, & ex altera humano iudicio æstimante sit medium necessarium, vel conducens ad virtutem, quæ finis est, & scopus spiritualis potestatis in Pontifice, tunc certum est, & de fide illam omissionem esse præceptibilem, & subiectam Pontifici. quia ex eo quod fide constat summum Pontificem posse, ac debere in suis omnibus procurare virtutes, pariter eadem constat illum posse assumere ad illum finem idonea media, nempe quæ non sunt ab intrinseco mala, sed quæ vt conducunt ad fines virtutum physicè aut moraliter, ita illis virtutum finibus possunt honestari. Hoc mihi manifestissimum vel ex ipso immediato fidei pronunciato, vel ex sequela inde euidenter deducta.

13. Alterum Corollarium sit iure diuino, & Ecclesiastico de facto coercitam esse,

esse, & limitatam potestatem ciuilem præcipiendi in Principe, ac diminutum, atque restrictum ius faciendi multa in ipsismet subditis aliter quàm ipsis ex iure naturæ vel gentium merè, ac purè contingit: adeoque in vtrisque pro bono virtutis adhuc magis posse coerceri, atque limitari iura, quæ habent in res temporales. Hoc patet verum esse ex missione sacrorum hominum in prouincias quorumcunque Principum. Nam quòd in eorum ditionibus maneant externi clerici, vel alioquin ciues, quòd prouidere sibi possint in ijs locis sibi ad victum necessaria, quòd ius diuinum habeant ad aquam pro baptismo, quòd foueantur à subditis, & excipiantur in eorum domos, non est concessum sacris personis, vel pijs subditis iure ciuili, aut naturali, sed diuino, à quo iure abstrahendo ius ciuile, & ius gentium dat Principi potestatem expellendi eiusmodi sacras personas, & subditi vi eiusdem iuris non tenentur obedire Principi iubenti illas non excipere in suas domos, sed vi potius expellere patriæ finibus, si id duxerit Princeps suo fini politico conueniens: ergo quòd hi Pastores legitimè missi in Principum dominijs consistant

ſiſtant inuito Principe, & contrarium præcipiente, & quòd ſubditi non tenentur obedire Principi mandanti eorum expulſionem vtpote rem temporalem, euidentèr liquet lege diuina, & ſpirituali poteſtate Pontificis reſtrictam, & coercitam poteſtatem Principis etiam quoad res temporales. Nam ſiſtendo cogitatum in iure gentium quis non videt obligari ſubditos Principi mandanti rem temporalem inſeruientem paci temporali, vtì contingeret ſi perſonæ illæ ſacræ iure diuino non eſſent deſtinatæ ad certas prouincias, morem gerere? Ergo cum fides definiat tales ſubditos non teneri Principi imperanti illam expulſionem, vel inhoſpitalitatem, obedire, eadem fide liquet iure Eccleſiaſtico diminutum eſſe ius ciuile in Principe. Similiter ſi ſpectetur ius gentium purè, quare non poſſunt Principes exigere vectigalia à Sacerdotibus, eos ad militiam tranſcribere, ipſis decimas adimere, cogere vt viuant ex labore manuum, perſonas, & cauſas ipſorum addicere tribunali ciuili? Cæterùm hæc Principi non licent, vt ex fide conſtat, ergo ex fide innoteſcit ſpiritualem Pontificis poteſtatẽ dilatari in res temporales, amplam

plam illam Principis poteſtatem in temporalia coercuiſſe, terminis incluſiſſe vltra quos eius ius non excurrit, pro bono tamẽ fidei, & religionis, quibus terminis, ac finibus moderationes Eccleſiaſticæ in rebus temporalibus honeſtantur. Vnde ſi Princeps aliquis haberet ſubditum, vel mancipium, qui ex voto, iuramento, aut promiſſione in gratiam ipſius obligatus eſſet exercere militiam, mercaturam, aut rem medicam, eo ipſo quo talis ſubditus, vel mancipium ſacris Ordinibus eſſet initiatus, ſolutus maneret iure Pontificio ab omni vinculo promiſſi, voti, iuramenti, adeoque ab ipſa ſeruitute, & Princeps amitteret omne ius illos cogendi ad eiuſmodi munera exequenda, vt conſtat ex facto B. Gregorij, nu. 11. Hinc ergo manifeſtum iure Eccleſiaſtico temperatum eſſe imperium Principis etiam in res temporales. Eodem pacto retinet Princeps ius, quatenus Princeps in ſua ampla, & natiua poteſtate imperandi ſubditis vt ipſum in ſuas domos excipiant, vt cum ipſo domeſticè, & ciuiliter verſentur, vt voce honoraria ſalutent, ac venerentur. Verùm teſtantur literæ Apoſtolicæ delinquentes poſt culpam ab Eccleſia manifeſtatam

ſtatam, & reprehenſam in certis caſibus non excipiendos in domum, non ſalutandos, vel admittendos ad conuictum; neque vllo priuilegio Principes exemptionem poſſunt prætendere quantum ad abſoluram poteſtatem in Eccleſia, cum Eccleſiæ ſint oues, communemque cum alijs debeant Eccleſiæ obedientiam, eandemque cum illis diſciplinam iure diuino ſtabilitam in ſe admittere, niſi applaudere velimus Iconomachis, qui dicere ſolebant obligationes iuris diuini in Regibus ceſſare. Verùm quis non videt hæc reſtringere poteſtatem ciuilem in Principe, vtpote non recipi in domum, non honorari, non conueſci? ergo de ſententia fidei certum, ciuile ius Principis ſubditum eſſe iuri diuino quoad terminos, & limites præcipiente Eccleſiâ pro bono fidei, & religionis. Pariter Regina vxor, quæ ſimul eſſet ſubdita alicuius Principis, ſi non poſſit manere cum illo abſque iniuria fidei, ſummi Pontificis munita ſententia declaratoria integrum habet diſcedere, ac relinquere eius thorum, quod ſanè diminuit ius connubiale, & ciuile Principis, quo alioquin ſibi vendicet cohabitationem. Denique hoc ipſum com-

probant

probant quæ retulimus de translatione per Ecclesiam quarundam causarum à foro ciuili ad forum Ecclesiasticum contra Principum statuta, de irritatione contractuum, quos vt ciuiles nollet Princeps esse irritos, de prohibitione vendendi arma Turcis, & rapiendi naufragorum bona, vt declarat Bulla Cœnæ, aut inuisendi loca Palestinæ sine licentia summi Pontificis; adeo vt non posset iã Princeps vllo iure lucri, honorisve causa, aut alio ex fine pro libito suo vendere arma Turcis, vel destinare suos in Palestinam. Hæc verò, vt luculenter apparet, moderantur, & restringunt amplam Principis potestatem etiam in res temporales, pro bono tamen fidei, & religionis. Pariter dixi iure sacro Ecclesiæ cohiberi subditos in multis ciuilibus, vt quod non possint nocere sacris personis, illasve expellere manentes in suis prædijs, quod non possint illis denegare victum, & vestitum, vel aquam fontis, putei, vel fluminis ad baptizandum; quod non possint legere libros prohibitos ab Ecclesia, vel illos apud se retinere, quod non possint ciuiliter versari cum excommunicatis, & notoriè malis modo explicato in sacris literis: quod ius decimarum

non possint infringere, quod non possint deferre arma ad Turcas, vel sine licentia summi Pontificis peregrinari in Palestinam, quæ omnia ipsis adempta concederẽtur secundum purum ius naturæ vel gentium, denegantur autem iure Ecclesiastico. Quocirca sicut ex fide constat diminutum esse Principum, & subditorum ciuile ius iure Ecclesiastico pro bono fidei, & religionis, ita eadem fide exploratum in alijs etiã, in quibus adhuc non sunt factæ diminutiones, posse eas fieri mouente, & vrgente eodem fine virtutis, quo tales diminutiones factæ, vel faciendæ honestentur. Nam res temporales in vniuersum sumptæ respectu eiusdẽ potestatis in Principe sunt similis naturæ, ergo si in hac re ex iure Ecclesiastico poterit legitimè fieri diminutio ciuilis imperij, vel iuris in Principe, aut subdito cum honestamẽto ex fine virtutis, etiã in alia poterit, si occurrat vtrobiq; eadem, vel similis necessitas promouẽdi virtutem, & honorem Dei.

14 Tertio loco Corollarium est, posse virtute iuris positiui vel diuini ita promoueri finem virtutis, procurari, & conseruari, vti Principi obsistenti quoad temporalia infera-

inferatur inde damnum, seu nocumentum temporale. Probatur hoc primò ex potestate Pontificia mittendi Pastores. Etenim Princeps iniquus, vtpote Atheus, vel hęreticus, reputat se grauiter læsum in temporalibus, quòd contra suam voluntatem, & legem videat manere in regno homines externos, multo magis alioquin subditos, ibiq́ue procurare ad victum necessaria, quòd Ecclesias ædificent, quòd baptizent, quòd concionentur, quódque etiam subditi ipsius eis omnia requisita ad vitam, & propagandum Euangelium suppeditent; patitur itaque hinc in tẽporalibus incommodum vi iuris diuini, & Ecclesiastici. Vlteriùs si huiusmodi Princeps malo animo affectus iuberet Sacerdotibus descedere, desinere exigere aliquid à plebe, vt stipendium iure diuino debitum Altari, quod ius Apostolus Paulus dixit se habere sumendi temporalia pro seruitio spirituali, non conuocare concionem sub pœna capitis, atque sub eadem mulcta præciperet subditis non illos fouere, vel audire, tunc si tã Clerici, quàm subditi ciuiliter vi iuris naturæ consisterent in armis ad vitam contra tyrannidem defendendam, neque de- 1.Cor.9.

ponerent arma, aut seorsim vellent agere ad imperatum Principis suorum cohorte illos aggressuri, & occisuri, quod ipsis subditis & Clericis licitum dubio procul, grauissimè se in temporalibus læsum eiusmodi Princeps existimaret. Quod vero hæc defensio sui sit licita, patet ex communi iure naturæ, quo datur vnicuique ius defendendi vitam contra iniustum inuasorem, quæ quidē defensio cōmuni iure naturæ cadit sub præcepto, quando id commodè, & sine maiori damno fieri possit. Sumus enim vitæ custodes non domini, quandoq; rationem reddituri huius custodiæ Deo auctori vitæ, & necis. Hæc tamen sui defensio in causa fidei non ita strictè obligat, quin interdum possit omitti non solum sine culpa, verùm & cum laude martyrij, vt intelligamus legem naturæ superueniente fidei consilio non semper obligare. Affirmare verò huiusmodi Clericos, & subditos non posse in hoc casu armis defendere ius suum naturæ & diuinum, sed debere potius iure politico obijcere se nudos mucronibus confodiēdos, est Turcicum, Muscouiticum, Barbarum, horrendum, & recens quorundam politicorum post hæresim abiectissimæ adulationis idololatria. Neque

Vasquez 1.2. tract. de legibus.

in

in hoc casu Clerici cum alijs externis & subditis detrectantes obedire Principi in temporalibus, ordinationi Dei resistunt, quod B. Paulus omnino dissuadet. Nam Princes iniquo animo affectus erga veram religionem,& ad promouendam suam impietatem legem condens,vel vim adhibens disponendo de temporalibus, dupliciter delinquit, primò abutens rebus temporalibus, (quæ cùm naturæ constitutione inseruire deberent virtutibus,ad vitia ab ipso destinantur.)Deinde non agit vt Rex, hoc est, non exercet actum potestatis illius Regiæ, quam à Deo habuit,aut Republica,eo quòd quæ à Deo sunt ordinata sunt,neque directa vllo modo ad destructionem,vt docet Apostolus; sed agit vt Tyrannus ex potestate, quam iniquè sibi vendicauit, ac dæmon inspirauit. Quod verò ex sacris literis quidam politici inferunt de potestate Regis iure diuino apud Iudæos,vel Caluino teste, profanum,immò blasphemum, asserentes Saulem accepisse à Deo potestatem regio iure peccandi, finem politicum destruendi per tyrannidem,& impietatem; re enim vera Rex non habet plus potestatis, aut in alio sensu,quàm primitùs con- Rom. 13.

ceſſit Reſpublica. Idcirco quando Eccleſia, vel ſubditi in cauſa virtutis reſiſtunt Principi, non reſiſtunt in rebus temporalibus, vt res temporales ſunt, ſed vt ſunt media vſurpata à Principe ad promouenda vitia, maximè infideliratem. Neque reſiſtunt Principi vt Principi, ſed operanti ex poteſtate illegitima, quæ reuera nulla eſt, quandoquidem à Deo minimè ordinata. Maneat itaque probatum in caſu prædicto poſſe Clericos, & ſubditos armis defendere ius ſuum ſanguinis, & religionis, quo iure diuino & naturæ ſe læſum iri Princeps reputabit. Quod ſi hæc defenſio ſit licita, & opus virtutis, quare non poterit præcipi à ſummo Pontifice, cuius munus directè verſatur circa virtutes, niſi Catholicum Doctorem debeat vexare, ſummum Pontificem poſſe fidem, religionem, & cæteras virtutes tueri? Immo B. Ambroſius videns ratione cædis Theſſalonicæ à malo Imperatore Theodoſio perpetratæ conueniens eſſe moderationem adhibere, coegit Theodoſium, & illi præcepit, vt ſcribit Theodoretus, legem condere, cuius ſententia erat, non valiturum de cæde, aut bonorum publicatione promulgatum edictum,

Theod. lib. 5. hiſt. cap. 17.

ctum, nisi exacto spatio triginta dierum ab eiusdem pronunciatione. Existimauit ergo Ambrosius Episcopalem auctoritatem subiectam habere Regiam potestatem pro bono charitatis. Poterit itaque Papa vt Papa præcipere quodlibet ciuile, si in eo ratio virtutis, & pietatis inueniatur. Neque iuuat, quod respondet Widdringtonus, illud *præcepit*, vel *coegit* apud Theodoretum idem valere, quod *persuasit*. Quis enim hoc pacto non possit omnia testimonia eludere? Sed familiare est huic vbique venari ambigua, vel æquiuocationes, vt pressus argumento, sensum, quem ipse vult, arripiens aliquò in sinu triumphaturus euadat. Sed de hoc postea, ac pergo. Princeps malo animo affectus in pietatem, existimat se læsum exemptione Clericorum, conquestus, insignem numerum eorum, qui vi patria fuere subditi, iam iure Pontificio solutum à coercitiua legum ciuilium potestate; Decimas porro quod exigant hi Clerici iure diuino, eiusmodi Princeps apud se statuet multum detrahere suo ærario, maximè cum immunes sint à solutione vectigalium. Ascripti quoque militiæ ex iuramento ad certum tempus ab Eccle-

sia liberi fiunt ad ingressum Religionis, quod Princeps merè politicus cogitabit aduersari obedientiæ sibi debitæ in ciuilibus, vt reipsa cogitauit Imperator Mauritius dispensante, & irritante eiusmodi iuramentum, & stipulationem B. Gregorio. Vlteriùs quòd Pontifex sua sententia possit vxori Regis facultatem impertiri discedēdi ab ipso quantum ad cohabitationē in casu, in quo cohabitatio iudicabitur ab ipso fidei periculū creare, vel quod Ecclesiæ canonibus eidē permittatur ante consummatū matrimoniū ingredi ordinē Religionis intra duos mēses à celebrato matrimonio, vt habetur cap. *Dudum*, cap. *Verū*, cap. *Ex publico de conuers. coniug.* iniustè priuatū suo bono temporali apud se Rex definiet. Similiter quod iure diuino percellere possit Pontifex Principem censura excommunicationis, atque inde prohibere, ne excipiatur in domum, ne salutetur, quæ in absoluta eius potestate contineri certum, ex cuius vi sicut vxor loco discedit ab illo ad seruandam Deo fidem, ita subditi possunt deserere Principis curiam, & loca petere remota ipsi non subiecta, vt videtur admittere Widdringtonus; graviter hoc ferret

Nu. 191. 289.

Prin-

Princeps, maximè hęreticus videns se spoliatum commercio vectigalium, & ciuili subditorum necessitudine, veluti si omnes ciues illico aufugerent appellente Principe ad eorum ciuitatem. Eodem pacto si Princeps Christianus nimis esset propensus in Turcas, cuperetque eorum institutionibus rempublicā suam administrare, animaduertens se lege Ecclesiæ in rebus temporalibus prohibitum arma Turcis dare, suos pro libito in Palestinam mittere, ægrè hoc feret, & pro dispendio duceret, quæ tamen lege Ecclesiastica firmantur. Eadem ratione videns Princeps ex canone Concilij Tridentini subditos priuari posse proprijs ædibus pro bono virtutis, vtpote habente Episcopo, vel Ordinario potestatem eijciendi pellices extra ciuitatem, vel diœcesim, tametsi Princeps in illas indulgētior cuperet, ac iuberet manere, atque suis frui, pro nocumento habebit sibi in hac re temporali ab Ecclesia adimi potestatem. Perturbare etiam Principem minùs pium poterit, quod Ecclesia irritos faciat contractus connubiales intra quartum gradum, etiam inter Principes, qui alioquin ciuiles essent, & sacri. Certum est itaque, & de fide posse Ecclesiæ

Sess. 24. c. 8.

Ecclesiam sic lege sua disponere de temporalibus, vt inde inquus Princeps, maximè atheus vel hæreticus se læsum existimet, ac iudicet; quod euidentissimè apparet vel maximè in emancipatione seruorum pro honore, & bono fidei. Licet enim Ecclesia requirat præuium consensum dominorum, tamen vi Ordinis Sacri susceptí emancipantur, Can. *Si seruus, dist.* 54. Et si dominus nollet manumittere, est tamen in potestate Ecclesiæ pro bono publico præsertim spirituali seruum libertate donare, vt colligitur ex verbis D. Pauli ad Philemonem. Corollarijs modò ad exitum deductis alterum Principale membrum pertractandum occurrit.

15 Tria quantum ad hoc membrum sunt distinguenda; primò cõsideranda qualitas, & conditio subditi cui incumbit officium obediendi, quæ quidem non est vt obediat despoticè, hoc est, iure mancipij, sed ciuiliter, vti admonet Aristoteles, veluti ciuem & liberum decet. Secundò in considerationem venit ipsa obedientia quantum ad eius partes, obiecta, & finem. Partes obedientiæ ciuilis sunt duæ, vtpote actum aliquem externum exercere vi legis præ-

præcipientis, & quoſdam actus externos omittere vi legis prohibentis. Obiecta huius obedientiæ ſunt res temporales, vtpote dominia, pecuniæ, poſſeſſiones, corpora, eaque omnia externa ſenſu perceptibilia, quæ inſeruire poſſunt bono reipublicæ: finis huius obedientiæ cernitur in emolumentis huius mundi iuſtè acquiſitis, & poſſeſſis, ac bonis moribus vſui applicatis ad communem pacem, & tranquillitatem. Sciendum tamen eſt obedientiam in ciuilibus genere ſuo bonam poſſe ex circumſtantijs, maximè ex malo euentu euadere malam, & ſcandaloſam. Vnde fit etiam opera virtutum, aut vſum rei legitimum deprauari, & eſſe illicita, & ſcandaloſa, vi ſequuturi inde ſcandali, nempe inde alijs, eorum concurrente infirmitate, data cauſa damni, & ruinæ ſpiritualis. Atque hinc Apoſtolus Paulus affirmat, ſe non manducaturum carnes in æternum, ſi eo frater eſſet ſcandalum paſſurus. Conſtituendus eſt itaque præ oculis caſus, in quo ciuilis obedientia eſt ſcandaloſa prudentum iudicio, & reipſa, vtpote certa deſtructio finis ciuilis, & ſpiritualis per vitia, hæreſes, aut infidelitatem. Veluti ſi Princeps obedientiam

dientiam ſubditorum adhiberet vti medium exterminandi eos, hæreſibus polluendi, & priuandi ſacris medijs neceſſarijs ad ſalutem animarum ipſorum. Tametſi verò non ſit ſubditorum munus procurare bonum ſpirituale ex authoritate, cum oues ſint, nihilominus iure naturali, & diuino obligantur nunquam ſuo facto, aut omiſſione procurare malum ſpirituale, aut id facere vnde certò & neceſſariò ſciant ſequuturum detrimentum ſalutis animarum. Tertio loco Rex ipſe intuendus habens à Deo etiam immediatè poteſtatem imperandi, prohibendi, puniendi, præmiandi, ac leges condendi, atque quantum ad iſta Dei in ſe maximam ſimilitudinem in terris exhibens. Duo tamen ſunt, quæ huc ſpectant, primum, Regem non accepiſſe à Deo, vel à republica poteſtatem aliquam imperandi contra finem politicum, multo minus contra finem Euangelij & Eccleſiæ, eo quod iuxta ſententiam Apoſtoli Deus nemini conceſſit poteſtatem ad deſtruendum bonum. Alterum, quamuis ad Principem ciuilem non attinet virtute præcepti affirmatiui, per ſuas leges procurare bonum ſpirituale, eo quòd non ſit Paſtor

in

in Ecclesia, sed ouis, iure naturali tamen, & diuino ad negatiuam tenetur, hoc est, nunquam leges condere in temporalibus, aut præcipere obedientiam ciuilem, quæ causa sint scandali, aut damni in spiritualibus. Quod si aliquando cum scandalo, & damno spirituali præstiterit imperando, non operatur vt potestatem habens à Deo, aut republica, quia non est ipsi licentia concessa ad peccandum, vel destruendum. Talis potestas condendi leges, & iubendi obedientiam ciuilem est duntaxat nomine tenus potestas, reipsa vana, & nulla, eo quod nulla sit potestas nisi à Deo. Instituo itaque hoc argumentum.

16 Spectat ad summum Pontificem, vt Pontifex est, sicut præscribere virtutum actus, ita prohibere peccata, & scandala quæ potest: sed in casu nostro ciuilis obedientia, seu obedientia in temporalibus interdum vitiosa est, ergo prohiberi potest, & interdici à summo Pontifice. Animum cogitantē de probatione maioris subit admiratio, dum mecum repeto quonam spiritu à quibusdam inuehitur hodierna die in summū Pontificem, quod sibi vendicet auctoritatem dispensandi cum Principum

cipum ſubditis quantum ad ipſorum obedientiam ciuilem iuramento promiſſam, cum hæc ipſa auctoritas nihil aliud ſit, quàm poteſtas exterminandi vitia, proſcribendi ſcandala, ſeruandi Eccleſiam, propagandi virtutes, liberandi hominum infinita millia ab æterna damnatione, ac in cœlum transferendi. Probatur itaque maior. Vna virtus, vt admonet ſæpe B. Chryſoſtomuc, prodeſt fidelibus, & vitium ſolum nocet, idcirco in iſtis duobus verſari præcipue debet Paſtoris officium pro bono ſuarum ouium. Hac enim de cauſa Pontifex mandat virtutes, vtpote religionem, ieiunium, continentiam, quæ in ſe complectuntur res temporales, vtpote actus externos, qui quidem actus, licet vt tales, nõ ſint ſubditi eius auctoritati, vt tamẽ annexi virtutibus ſubduntur, & virtutũ induunt naturas, atq; euadunt quodam modo res ſpirituales: virtus autem procurari nequit, niſi pellatur contrarium vitium, & ſcandalum, quæ in ſe implicant res quoque temporales, nempe actus externos, qui actus externi, & temporales ſubduntur Pontificis poteſtati, non vt tales, ſed vt adiuncti vitijs, & ſcandalis in quæ directè habet poteſta-

tem,

tem, qui ouium est * Pater spiritualis, & subeunt, vt dixi, qualitates vitiorum & scandalorum, quibus inseruiunt, ergo cum temporalia euadant vitia, ac scandala quodāmodo, nimirum reductiuè, sunt iam res spirituales, & subsunt propterea spirituali summi Pontificis auctoritati. Minor probatur euidentia, quando Princeps suis fauoribus præficit hæreticos alijs, priuatque pios omni loco, & auctoritate in republica. Neque valebit si quis occurrat dicendo esse malum intrinsecè, subditum non obedire suo Principi in temporalibus, ita vt honestari non possit vllo spirituali fine, in quem directè habeat summus Pontifex auctoritatem. Nam dico, idque mihi fide Christiana certum, potius in nostro casu dicendum, obedientiam in ciuilibus esse intrinsecè malam, repugnantem quippe iuri naturali, & diuino, & proinde talis obedientia prohiberi potest à summo Pontifice. Nam si Princeps præciperet dare pecunias suas Turcis, vel eas proijcere in mare, faces ædibus subdere, committere possessiones suas externis, seipsos interficere, in istis casibus esset intrinsecè malum obedire, & intrinsecè bonum repugnare.

* Pastor

Nam

Nam hæc imperata directè sunt contra finem ciuilem, cuius gratia sunt subditi, sunt mala, sunt inciuilia; tum etiam quia sunt mandata à Principe ex nulla potestate, quam ipse accepit à Deo, vel republica, hoc est, reuera non sunt mandata. Similiter si subditi viderent manifestè Principem ex affectu hæretico, vel Turcico præscribere illis obedientiam aliàs legitimam, & ciuilem, ita tamen vt ipsis euidenter constet, talem obedientiam esse scandalosam, & paulatim introducturam hæresim, & Turcismum ad ruinam spiritualem suam, filiorum, & nepotum, ac totius posteritatis in perpetuum, iure tenentur euitare hoc scandalum, omittendo obedientiam ciuilem, tum quia ad hoc obligat charitas vetans etiam bonum facere, si inde malum proueniat; tum quia Princeps nullam habet potestatem mandandi obedientiam ciuilem pro fine impio, & destructione corporali, ac spirituali tot millium; propterea à nulla auctoritate processit tale imperium: atque grauissimè, stante hoc scandalo, subditi peccarent contra fidem, religionem, charitatem, obedientes in temporalibus. Cum ergo videat summus Pontifex obe-

dientiam

dientiã in ciuilibus esse malã, scandalosam, neq; ad eam præstandam teneri subditos, sed potius obligari ad non exhibendam talem obedientiam iure naturæ, & diuino, similiterque animaduertat non esse à Deo datam potestatem Principi destruendi spirituale bonum Ecclesiæ, aut adhibendi obedientiam in ciuilibus vt medium ad inducendam hæresim, vel impietatem, poterit hoc publicè declarare, ac præcipere vt seruetur à subditis hac in re ius diuinum & naturale. Nam, vt scribit Gregorius Magnus, nulla ratio finit, vt inter Reges habeatur, qui destruat potius, quam regat imperium. Hoc argumentum præcipue deducitur ab obligatione in subdito, quam habet ad parendum iuri naturali, & diuino, atque ex defectu potestatis in Principe. Adijciam, secundum directè petitum ex ipsa auctoritate summi Pontificis. Lib. 4. in Pſ. 4.

17 Nemini obscurum, respectu boni spiritualis, quod prouenire poterat Reipublicæ Christianæ, valde conuenientem esse hanc in Ecclesia potestatem in temporalibus, adeoque obedientia ciuili ordinanda. Hinc enim firmari potest fides,

O religio,

religio, ac reliquæ virtutes in Republica, simulque Princeps videns eam obstare susceptæ ab ipsomet impietati continebit se, & ad meliorem mentem redibit. Atque eum disertè, & eleganter duas hasce potestates, spiritualem nempe in Ecclesia, & temporalem in Republica comparet B. Gregorius Nazianzenus animæ, & corpori, sicut pro bono hominis anima obtinet imperium in corpus, (non quidem vti illud occidat, vt cauillatur hac in re Widdringtonus, hoc enim esset contra finem ipsius animæ, & contra naturale desiderium quod habet manendi cum corpore, potius cupientis, vt docet Apostolus, superuestiri (naturæ instinctu) accessu gloriæ, quàm spoliari ictu mortis;) naturæ iure corpori imperare vult actus corporeos, & illos cohibere, ipsumque corpus; teste Aristotele, animæ obedientiam præstat, non ciuiliter, sed despoticè, hoc est, ad nutum, & ex certo, directoque sui pondere, inde confici apparet ciuilia subiecta esse Ecclesiæ, non vt Ecclesia eo iure abusa peccet, seipsam impediat, vel destruat, veluti si anima suum corpus occideret, sed pro bono virtutis, hominum salute, sempiternaque Dei gloria de illis disponat.

Orat. ad pop. tim. perculsum.

2. Cor. 5.

ponat. Videmus enim res alioquin naturales muneribus virtutum referri in finem ſupremum, ac ſupernaturalem, vt conſtat ex cultu Dei exterius per creaturas exhibito, ex charitate amoris Dei ergò largientes, ex continentia, mortificatione, & virtutum meritis, quæ actionibus corporum conſtant, ita præclarum erit temporalem obedientiam, poteſtatem, ſubiectionem, adeoque res ciuiles per ſpiritualem in Eccleſia poteſtatem moderari, ac reduci non ſolùm ad bonum naturæ, & politiæ quod per Principem efficitur, ſed etiam ad fidem, religionemque excolendam, æternamque hominum beatitudinem. Diſquirendum itaque quomodo temporalia non ſint ſubiecta ſummi Pontificis curæ, & prouidētiæ ad hæc bona procuranda tam præclara, & conuenientia.

18 Multum in hoc inſiſtit Widdringtonus, quod res temporales nō ſint ſubiectæ ſpirituali Pōtificis auctoritati, eo quòd inſtrumenta, & media poteſtatis ſpiritualis debeant eſſe ſpiritualia, non carnalia, vel tēporalia. Verùm hoc apertè fidei Chriſtianæ repugnat. Nam penetrare in regnum aliquod, ibi manere, aſſumere aquam

ad baptizandum, deligere loca ad concionandum, & administrandum Sacramenta sunt res temporales, subditos fouere, & nutrire Pastores suos, ad illos adire, temporalia sunt, tamen præcipi possunt à summo Pontifice, quandoquidem licita iure diuino, subiectáque eius officio temporali. Si itaque licet summo Pontifici præcipere actum virtutis, constantemque officio temporali, qui non est contra obedientiam ciuilem, quare non potest prohibere obedientiam temporalem pro bono virtutis, cum vtrobique sit res temporalis, & idem finis ex virtute? Ergo ciuilis obedientia non est ex hac parte indispensabilis, quod posita in re temporali. Miror hîc quo animo Dominus Blackwellus cum hominibus suæ factionis tutum, & licitum in conscientia ducunt, cum iuramentum fidelitatis prætensæ susceperint, manere in Anglia, accipere eleëmosynas à populo, & ad faciendum illos suadere, hortarique, cum hæc directè sint contra obedientiam in ciuilibus, ac rebus temporalibus, de quibus in vniuersum iuramentum emiserunt. Nam quæro quo iure hîc manent contra leges? Dicunt iure sanguinis, & inno-

innocentiæ. Verùm quo iure petunt eleëmosynas? an vt ciues laico ritu, vel vt Sacerdotes? si vt ciues tantùm, iam renuntiarunt iuri Pastorum, & fatentur contra Apostolum, se non posse modò corporalia metere serentes spiritualia. Si vt Pastores id peragunt, ergo dicunt iure Ecclesiæ, & missionis à Paulo quinto se absolutos ab obedientia in ciuilibus, & cum ipsis dispensatum in hoc genere. Et reuera si nihil esset præter innocentiam, & ius sanguinis, non possent licitè manere in Anglia, aut stipendia à populo accipere. Nam potest quæuis respublica alto suo dominio exules facere ex suis aliquos pro bono communi, vtpote ad vitandas seditiones, lites, cædes, & mala huiusmodi, atq; re ipsa præscriptionis titulo ad dirimendas, & finiendas lites transfert dominia ab vno in alium nulla culpa intercedente. Quis etiã merito improbare potest Ostracismum Atheniensium, & Venetorũ, quo exulare coguntur ditiores, & qui deuenere in magnũ fauorẽ populi, etiam absq; eorũ culpa, ad vitandas factiones simultatũ? Quod si ius sanguinis, & innocentiæ ad hoc valeat solummodo, quomodo tunc externi, vtpote B. Augusti-

1. Cor. 9.

Plutarch. cõparat. Arist.

nus cum suis mitti potuere in Angliam? quod, obsecro, illis ius ad manendum, & reliqua facienda contra Principum leges, si non deriuatum à Gregorio Magno? Nisi ergo notam hæreseos incurrere velint, fateri debent se in Anglia morari, & eleemosynas accipere contra leges regni potestate ad id accepta à Sanctissimo Paulo quinto, qui in istis temporalibus auctoritatem habet dispensandi pro necessario fine Ecclesiæ, & bono eiusdem spirituali. Quod si in hoc temporali spectante ad obedientiam ciuilem cum illis dispensatum à Sanctissimo Paulo quinto, concessaque potestas agendi contra obedientiam ciuilem, quare eandem facultatem illis non poterit largiri respectu aliorum temporalium in ordine ad eundem finem spiritualem? an in vno licitum agere contra obedientia temporalem, & non in alio, omnibus eundem finem indifferenter respicientibus? Exemptiones Cleri respiciunt res temporales, infamia per detectionem criminis, discessus negando conuictum, & cohabitationem temporalia implicant, hospitalitates, mercaturæ genera, officia tutorum, emancipationes, solutiones debitorum, causa-

rum

rum iudicationes, irritationes contractuum, dispensationes in votis, & iuramentis, peregrinationes, punitiones versantur in rebus temporalibus, tamen de fide certum in hæc potestatem habere summum Pontificem pro bono fidei, & religionis, ergo ex eo quod obedientia ciuilis sit res temporalis, non efficitur eam exemptam iuri Pontificio. Immo sic arguo. Obedientia ciuilis, & leges Principum in casu ruinæ, & scandali, non sunt res temporales nisi materialiter, moraliter enim ex fine & euentu sunt res spirituales, ergo si fides constat spiritualia subiecta Pontificis auctoritati, etiam & temporalia modo explicato. Antecedens probatur; *Vnaquæque res talis est, qualis eiusdem finis*, vt habet regula Iuris: sed actus temporales, & ciuiles subditorum, atque Principum, vt sunt interdum conductiui ad bonum virtutis, ita nonnunquam auocatiui ab eodem bono, vt sic loquar doctrinæ causa, ergo speciem sumunt à virtutibus & vitijs, & qualitatem spiritualem ab illis desumunt. Quod si vel vnum temporale pro bono virtutis subijciatur Pontifici, etiam & reliqua: nam sine discrimine eandem po-

testatem respiciunt in Principe, quæ est immediatè à Deo, & eosdem fines virtutum & vitiorum, & proinde temporalia in vniuersum affecta istis duobus respectibus conducunt, & ducantur subijciuntur iuri Ecclesiæ.

19 Porro si quis diceret, ideo obligationem fidelitatis in subdito esse indispensabilem, eo quod sit iuramento firmata, is nihil efficeret, quandoquidem fide constet Ecclesiam dispensare posse in iuramentis, & votis. Vnde sic argumentor. Votum virtutis dissolui potest per summum Pontificem, vtpote prohibentem materiam voti, scilicet actum externum, vel loco Dei restituentem votario verbum suum, ergo officium iuramento hominj promissum per Pontificem dissolui potest. Antecedens est de fide. Consequentia à maiori ad minus affirmatiuè, & sanè multo magis, & immediatius Deus dominus est factus per votum promissi, quàm Princeps est dominus officij ciuilis in subdito, vt constat; proinde quod Princeps habeat potestatem immediatè à Deo, nõ infertur ciuilia haud spectare ad ius Põtificis.

20 Verùm in hoc potissimum insistunt

stunt contrariæ sententiæ assertores, ideo à Pontifice dissolui non posse vinculum ciuilis obedientiæ ex iuramento, quòd Princeps, cui talis obedientia debetur, habeat suum ius immediatè à Deo, & propterea nullus præter Deum poterit ei adimere ius in subditum, adeo vt sit intrinsecè malum non obedire subditum in ciuilibus suo Principi, vt est blasphemare, mentiri, vti in nullo planè casu sit licita, aut vllo bono fine honestabilis contraria omissio officij. Infirmum sanè est argumentum. Iure enim naturæ, vbi non est dominium Principis, homines sunt domini suarum rerum immediatè à Deo habentes possessionem, quia nulla est potestas nisi à Deo, nihilominus ex fide constat, res temporales istorum dominorum subijci iuri Ecclesiastico. Nam si inueniretur tales in orbe terrarum, illos adire possunt concionatores missi ab Ecclesia, & in eorum locis ius sibi vendicare manendi, prædicandi Euangelium, Sacramenta administrandi, atque si conuersi essent ad fidem, adhuc destituti Principe, & ciuili imperio, poterit nihilominus Pontifex eis prohibere contractus quosdam, interdicere consortium, & mercaturam Rom. 13.

caturam cum infidelibus, discessum ab illis iubere, & omnia illa temporalia, quæ supra recensuimus; ergo ex eo quòd Princeps habeat immediatè à Deo suum ius, non infertur Ecclesiam minimè retinere potestatem in res ciuiles ad ipsum spectantes. Si Principes haberent suam auctoritatem à Deo immediatè, vt nihil aliud veluti secunda causa efficienter concurreret cum ipso Deo, tunc reuera Principis auctoritas esset diuina, & supernaturalis, quandoquidem nulla causa secunda valeret attingere collationem eiusdem; esset quoque eius lex immutabilis, & indispensabilis, vt patet de iure diuino, quod in sacris literis declaratur, quæ falsa omnino sunt; est enim potestas Principis ciuilis, politica, humana, & immediatè à iure gentium determinante, & applicante generale ius naturæ ad quædam particularia pro bono vniuscuiusque reipublicæ. Ipsimet sub Principe officium gerentes habent potestatem suam immediatè à Deo, vt mox explicabo, tamen eorum imperata possunt mutari, & violari per Principem, ergo non infertur legitimè ex eo quod potestas Principis sit immediatè à Deo, eius imperata à solo

Deo

Deo mutari posse. Sicut enim Prætor habet supra se Principem, ita Princeps Pontificem, non quidem in eodem genere, sed in diuerso, nempe in sacro, & spirituali pro bono animarum, quando Principum iussa euadunt auocatiua à bono, & impulsiua ad malum, siue intrinsecè, & ex obiecto id accidat, siue extrinsecè ratione euentus, & scandali, nam tunc sequuntur naturam spiritualium. Itaque sic arguo. Certa fide definitum, esse in Ecclesia potestatem, quæ disponere poterit de rebus quibusdam temporalibus pertinentibus ad Principem, atque ad obedientiam subditorum, ergo eadem fide contestatum temporalia Principum, subditorumque obedientiam, subijcienda spirituali summi Pontificis auctoritati pro bono virtutis, beatitudinis, & maioris Dei gloriæ. Antecedens sic probatur, Princeps immediatè à Deo accepit ius constituendi ciues, & incolas sui regni, prohibere tamen non potest quo minus Catholici Doctores licet externi intrent in eius regnum, ibique maneant, aut habitent, aut ne audiantur, vel sustententur à subditis, ergo licet Princeps immediatè ius habeat in rem temporalem, vtpote eam

pro-

prohibendi ex vi naturalis, atque ciuilis auctoritatis, non infertur tamen inde ab Ecclesia tale ius non posse cohiberi. Similiter accepit ius à Deo immediatè Princeps ea remouendi quæ procurare solent animorum alienationes inter ciues, tamen Princeps videns introducendam fidem Christianam effecturam esse alienationes, vtpote inter subditos Ethnicos, & fideles, hæreticos & Catholicos, impedire nihilominus nequit cursum Euangelij in suo regno, aut ea prohibere, quæ ad illud conducunt; eo quod fides sit absolutè necessaria ad salutem, ergo ciuilis potestas immediatè à Deo accepta non obstat dispositioni Ecclesiæ quantũ ad res temporales, & obedientiam subditorum. Immediatè accepit à Deo Princeps ius ad cohabitandum cum vxore, ad ciuile obsequium à subdito exigendum, nihilominus ius Ecclesiæ potest diuortium constituere inter ipsum & vxorem, iubere vt subditus non recipiat eum in domum, sed habeat pro Ethnico & publicano, non salutet, sed pedibus exeat à Babylone, hoc est, de ijs locis, in quibus ipse dominatur, quando horum contraria præstari nequeunt sine dispendio fidei in sub-

Apoc. 18.

subdito. Retinet Princeps ius immediatè à Deo suis subditis imponendi munera ciuilia, prohibetur tamen ab Ecclesia Clericos deputare ad militiam, aut impedire quo minus subditi relictis istis muneribus ingrediantur in Ordinem aliquem religionis. Cum itaque ex istis, atque similibus fide constet, acceptum à Deo immediatè ius imperij non obstare quo minus eius actus ciuiles ab Ecclesia cohibeantur, illa immediata in Principe à Deo acceptatio potestatis non erit in reliquis temporalibus impedimentum, cum integrum fuerit Ecclesiæ de rebus temporalibus Principis, & subditorum pro bono fidei & religionis statuere, & determinare. Neque potest quis dicere ius diuinum immediatè conferens regiam Principi potestatem ex vi iuris naturalis adeo amplam concessisse, vt eam possit aliud ius diuinũ sacris literis expressum, vel ab Ecclesia traditum postea restringere, sic enim ius diuinum esset contrarium iuri diuino, quod non est dicendum. Præterea omnem rem temporalem spectantem ad Principem, & subditum, affirmandum indifferenter Deum subiecisse potestati Ecclesiæ vi iuris diuini pro bono fidei,

fidei, & religionis. Si enim Princeps ſecundum ius ciuile mandaret omnibus vxoratis ſimul verſari in eadem domo, ciues in vniuerſum amicè, & benignè hoſpitalitate, & ſalutatione intercedentibus in ciuilitate degere, non alia decernere ſtipendia Clericis quàm hoc, vel illo valore conſtantia, non videretur ſecundum ius ciuile præciſè conſideratum excedere ſuam iubendo poteſtatem, tamen hæreticum eſt dicere, non obſtante lege contraria ſummi Pontificis, debere ſubditos in iſtis temporalibus Principi obtemperare, vt patet in iure Eccleſiæ tradito in ſacris literis, ergo fide innoteſcit eſſe in Eccleſia poteſtatem etiam in temporalibus ſupra ciuilem in Principe poteſtatem.

21 Verùm *obijciunt politici*, licet obedientia à ſubdito exhibenda Principi in rebus temporalibus ſit interdum ſcandaloſa, & contra finem Euangelij, animarumque ſalutem, non tamen infertur inde omitti poſſe à ſubdito illam obedientiam virtute mandati Eccleſiaſtici. Nam obedire Pontifici malè viuenti, & detrimentum Eccleſiæ grande malo exemplo adferenti eſt ſcandaloſum, & nociuum Eccleſiæ, nihilominus

hilominus est tali Pontifici obediendum in spiritualibus, ergo scandalosa lex, aut factum Principis non sunt idonea causa ob quam à Pontifice deponatur. *Respondeo*, in diuersis diuersam esse rationem ipsa fide Christiana determinatam. Nam morem non gerere malo Pontifici in spiritualibus stante, & permanente imperio Pontificis est intrinsecè malum, & contraria obedientia est prorsus in præcepto. Atque quando actio bona posita est in præcepto, magnaque inconmoda sequerentur, si eius officium omitteretur, illa actio non est vitanda propter illa incommoda. Idcirco obedire sedenti in Cathedra Moysis, licet inde sequatur euentus nociuus, & scandalum ex malis moribus sedentis, & præcipientis, non est vitiosum, sed potius vi legis sacræ præceptum. Nam in tribus fides Christiana nos certos facit. Primum, huiusmodi Pontificem non posse errare docendo hæresim, vel mandando aliquid contra bonos mores, si vt Pontifex, & ex cathedra præscribat. Alterum, non permissurum Deum Ecclesiam destructum iri prauis moribus Pontificis. Tertium, alio modo immediatè summum Pontificem accepisse

à

à Deo auctoritatem, alio verò Principem. Quantum ad prius, mandatum Principis potest esse scandalosum, & errore violatum: quantum ad alterum, potest Rex totam suam ditionem per ciuilem obedientiam vt mediũ abducere à vera fide. Quantum ad postremum, Rex est filius Ecclesiæ, eiusque bona temporalia vt instrumenta virtutis subduntur Ecclesiæ, habetque in terris superiorem non in re temporali, vt temporalis est, sed in re temporali reductiue, & finaliter modo supra explicato iam facta spirituali.

22 Existimo itaque cuncta esse à Deo immediatè (sola excepta nequitia peccati) ita vt omnia bona entis, naturæ, gratiæ, virtutis, & potestatis, quæ moralia sunt, id est, haud posita in rebus concretis, & physicis, fiant immediatè à Deo, vt à causa efficiente, non tamen horum ita Deus est causa efficiens, vti nihil aliud vt causa efficienter concurrat: nam est Deus immediatè per suum suppositum, & virtutem causa illuminationis, tamen per Solem, & cum Sole in ordine suo pariter efficiente. Est Deus causa sapientiæ, & virtutis immediatè in homine, per eiusdem tamen intellectum,

lectum, & voluntatem vti causas efficientes, in qua subordinatione causæ primæ, & secundæ in naturalibus determinatio ad gradum effectus oritur à causa secunda. Ideo Deus tantum, vel tantum illuminat, & accendit ex virtute causæ secundæ, & dispositionis in subiecto magis illuminans per Solem, quàm per facem, plus gemmam quàm carbonem. Est itaque Deus efficiens causa immediatè Regiæ potestatis, simul tamen cum Republica, & cum illa vt causa efficiente secunda, & completo principio collatiuo, & donatiuo eiusdem potestatis. Hoc inprimis docet philosophia, eo quod potestas Principis sit res quædam ciuilis, naturalis, non diuina aut supernaturalis, cum finis, & media illius sint res naturales, pax & tranquillitas populi. Idcirco cum potestas Reipublicæ sit nobilissima, continet in sua virtute Regiam potestatem efficienter cõdendam; quod est manifestum ex duobus, primò ex varia limitatione potestatis in Principe in diuersis prouincijs, vbi Principes aliqui creantur electione, alij iure sanguinis; aliqui ex se habent potestatem condendi leges, alij vero non; cuius moderationis, & diuersitatis non

alia causa quam in Republica vti proxime efficiente causa Dei supremæ efficientiæ subiecta, & illam ad certum modum determinante. Secundo nobilissimi philosophi, vtpote Aristoteles, Cicero, & alij insignes Theologi, & Iurisperiti, (neque rem ipsam inficiatur Widdringtonus, & in Anglia nostra Bilson, & Robertus Abbatus id scriptis libris asseruerunt) definiunt, quando Princeps degenerat in Tyrannidem, incidit in insaniam, esse in republica potestatem se & sua defendendi, etiam Principem Imperio abdicandi pro fine suo consequendo, bono nempe politico, neque Barclaius hoc vllo solido argumento improbauit. Quod si verum sit, inde euidens Rempublicam esse immediatam causam efficientem, donatiuam & collatiuam iuris Regij. Hæc denique videtur mens B. Petri Regem cum sua potestate appellantis *humanam creaturam*, id est, ab hominibus immediatè, efficienterque constitutam.

Bilson de Reg auctoritate. Abbatus de Antichristo.

1 Petr. 2.

23 At vero potestas Pontificia est immediatè à Christo Domino vt à sola causa efficiente collatiua, & donatiua, Cardinalibus solummodo eius personam in electione designantibus, & causæ efficienti Christo

Christo veluti applicantibus. Etenim potestas Pontificia est supernaturalis, propterea non datur efficienter ab Ecclesia, cum constitutum medium dandi potestatem spiritualem ab Ecclesia sit Sacramentum Ordinis, quo non vtuntur Cardinales; Neque Pontificia auctoritas posita est in mera Iurisdictione noua, sed in potestate docendi totam Ecclesiam, & eam gubernanni cum infallibili assistentia Spiritus sancti in eum finem. Iurisdictio porro non datur nisi à superiore, non est autem Ecclesia superior Pontifice, sicut neque membra capite eminentiora, inde concluditur solam efficientem causam potestatis Pontificiæ esse Christum Dominum. Hoc vlterius ex eo confirmari poterit, quòd in summo Pontifice sit potestas quædam ad certos actus, quæ non reperitur in Ecclesia seorsim à summo Pontifice, vtpote potestas ad definiendam infallibiliter veritatẽ ex se, vel cum Concilio generali, quam potestatem cum exercere non possit Ecclesia seorsim à summo Pontifice, liquet, efficienter & collatiuè eam non dedisse summo Pontifici, sed Christum Dominum. Nam qui communicat alteri potestatem, vt patet

in Rege, & officialibus ſub ipſo, illam exercere poterit, quam dat. Rex etenim conſtitutus à Republica non poteſt exercere vllum actum poteſtatis & iuriſdictionis, quam Reſpublica illa nequit exercere ſi non haberet Regem. Atque ideo Reſpublica Veneta poteſt iam omne illud facere ciuiliter,& cum imperio, quantum ad leges condendas, pœnam vel præmium decernēdum, quod facturus eſſet Rex, ſi Ducem ſuum vellet creare in Regem. Proinde manifeſtum,poteſtatis Regiæ immediatam cauſam efficientem, donatiuam, & collatiuam eſſe originaliter Rempublicam, neque hanc efficientiam vlla proportione excedit poteſtas Regia. Quibus differentijs explicatis inter Pontificem, & Regem apparet vnde ſemper obediendum ſit Pontifici in ſpiritualibus, cum deponi non poſſit ab Eccleſia, non vero perpetuo mos gerendus Regi etiam in temporalibus præcipienti.

24 Atque hæc habes chariſſime, quæ pauculis horis deſcripta de hac re tota iudicium meum tibi aperirent. Non enim hiſtorias, & res geſtas ſummorum Pontificum huc adferre volui, ſed ea ſolum communia

munia principia in medium adducere, quæ à nullo Catholico iure negari posse videantur, atque inde in sententiam veritatis quam breuissime veluti per capita, & strictim disserere mihi fuit institutum.

25 Cogitatione verò istius rei haud mediocrem mihi incutiente hoc tempore doloris sensum, æquum existimaui, & amicitiæ iure mihi concessum, querelam apud te deponere. Iuuabit enim teste Gregorio Nazianzeno, & lenit aliquantulum exulcerati animi ægritudinem, eius causam, loquendo, aut flendo, vel in aërem effundere; multo vero magis auribus, animoque prudentis amici commendare. Pupugit me, licet & id antea persenseram, quod sæpius inculcat Widdringtonus ex Trithemio asserente disputationem hanc de summi Pontificis auctoritate in temporalia non esse definitæ, certæque veritatis vlla ex parte, adhuc litem ad Iudicis tribunal pendere, quod & ab ipso Widdringtono habeo in concessis; nihilominus legis Anglicanæ seueritate, nondum hîc in patria discussa veritate per Doctores Catholicos, veluti subitanea facta impressione, non corpora solum, verum & in animas Nu. 33 & 470.

obijciũtur nobis diræ ſpecies perpetuæ incarcerationis, amiſſionis omnium bonorum, interdum etiam extremæq; filiorum, ac nepotum egeſtatis, & quod Widdringtono excidit multo ſanguine agitata quæſtione, non ſolùm adigimur ad aſſentiendum Parlamento, ſed & ſacramento ſententiam illius conteſtari, adeoque in errore, vel hæreſi verſari quotquot ex aduerſo contrarium opinantur iurato adfirmare cõpellimur. Qui quidem terror non eſt idoneum medium ad inducendum aliquem derepente animo aſſenſum, ſed potius ad conſternendam trepidationem, efficiendumque vt crimine periurij, hæreſeos, & ſacrilegij præualente timore, noſmetipſos contaminemus metu perculſos tantorum malorum, quæ iuramentum non ſuſcipientibus decernuntur. Porro notiſſima B. Auguſtini doctrina, qua dicitur præcipuum medium, & organum ad fidem ingenerandam eſſe auctoritatem externam virtute illuſtrem, quæ non minus rebus fidei præeſt, quam ratio ſcientijs, vt ipſe diſertè pronunciat. Cæterum nos, præſertim rudes, & literarum exortes, multum mouet inſignis & magna auctoritas, quæ

In præf. ad Lectorem.

De vtilit. Credendi.

Iuramenti

Iuramenti ſuſceptionem vetat, vtpote ſummi Pontificis Pauli quinti, quem in rebus iſtiuſmodi non poſſe errare *fides* nos docet, qui ad grauitatem rei toti Eccleſiæ indicandam ſingulari, ac memorabili hac in re vſus diligentia, tribus inſtrumentis publicis Iuramentum illud fidei aduerſari declarauit, ex omni natione præcipuorum Theologorum, ac Iuriſprudentium nomina, & libri Iuramentum proſcribentes pondere ſuo nos vehementer vrgent. Neque vllo prudentiæ, vel naturalis iudicij æſtimatu nobis innoteſcit, grauiorem, melioremque eſſe auctoritatem Anglicani Parlamenti, & paucorum quorundam qui obnituntur Iuramentum admittentes, cum ſummæ miſeriæ, vt dixi, obiectu iubemur litem hanc definire, æſtimare, iudicare, idque ſtrictiſſimæ religionis ſacramento. Verùm non eſt opus refricando hoc vlcus moleſtiam mihi, & alijs ingerere, ſatis ſuperque res ipſa lancinat, & exacerbat. Solùm pietas ſupereſt numini exhibenda, quo eius munere, inſtillato Magiſtratui ſuæ gratiæ balſamo, cum leniores, tum ſuauiores in nos, fideliſſimè Principi ſubiectos, effi-

ciantur. Vale chariſſime, & multum honorande, atque iſtis fruere, ſicut apud te conſultum fuerit.

Tibi multis titulis deuinctus

L. C.

6 NO 63

1612
.W63

1.5×10^{-6} cm
(88), 216 p

ROGERI WIDDRINGTONI CATHOLICI ANGLI RESPONSIO APOLOGETICA.

ad

Libellum cuiusdam Doctoris Theologi, qui eius pro iure Principum Apologiam tanquam *fidei Catholicæ apertè repugnantem*, atque *Ethnicismum sapientem*, falsò, indoctè, & seditiosè criminatur.

Qui fodit foueam incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.
ECCLESIASTI. CAP. 27.

COSMOPOLI
Apud Pratum.
1612.

re, non esse causam legitimam Regem deponendi, quod regiminiineptus sit, & regnum administrare non valeat, sed coadiutorem duntaxat, seu Regni administratorem, qui Regis nomine, & auctoritate reipublicæ gubernaculum teneat, pro tempore tantùm, quo regiminiineptus est, constituendi; neque tu, vt opinor, horum Doctorum opinionem vlla *firma, & efficaci ratione erroris aut falsitatis* conuincere poteris.

179 Si autem Rex in tyrannidem degeneret, certum quidem est, eum grauissimè peccare, sed simul etiam demonstrari nõ posse existimo (cum plures viri eruditi, quos ibidem retuli, contrariam sententiam amplectantur, quam ego ob tantorum virorum auctoritatem, quos à Catholicorum consortio, & sacrorum rituum participatione segregare non audeo, vt penitus improbabilem condemnare reformido) eum ab alio, quàm à suo superiore, quem præter Deum in temporalibus neminem recognoscit, iudicari, & pœna temporali coerceri posse.

180 Si enim Concilium generale Ecclesiam vniuersalem repræsentans, cum ex sententia Card. Bellarmini * non sit maius summo

* Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30.

summo Pontifice, ipsum ob nullum crimen, etiam hæresεos, iuxta eius doctrinam
* deponere queat, eo quòd maior à minori iudicari non possit, non video qua ratione efficaci quispiam demonstrare valeat Principem supremum, & absolutum, qui non solùm singulis reipublicæ partibus, sed tota etiam republica in vnum collecta superior existit, posse per rempublicam ob aliquam manifestam tyrannidem è Principatus sui possessione exturbari. * ibidem.

181 Verùm de istis quæstionibus altissimis, quæ ad iura Principum, tam temporalium, quàm spiritualium spectant, in quibus discutiendis, nisi viam planè rectam teneamus, in maxima præcipitia nos ruere necesse est, non videtur, meo iudicio, vel tutum, vel conueniens, nisi maxima necessitas vrgeat, disputare. Neque ego, aut istius quæstionis grauissimæ de potestate Reipublicæ in suum Principem mentionem vllam feciſſem, nisi tu hoc secundum fundamentum mihi fallò obiectans, & imperitè confutans, me ad tibi respondendũ valde imprudenter coegisses; aut de potestate Papali Principes deponendi contra Card. Bellarminum disputationem instituissem

issem, si ipse cuiuis Catholico, quod probabilius iudicaret, opinari integrum reliquisset, neque in nouis duntaxat suorum operum editionibus, nulla prorsus de nouo ratione permotus, contrariam quorundam Catholicorum sententiam fœdissima hæresis labe nimis rigidè aspersisset.

182 Attamen, vt videas, quàm debile ex datis tibi principijs argumentum concludas, demus tibi disputationis gratia, quod *euidenter demõstrare* nequiueris, posse Reges ob insaniam, vel tyrannidem per reimpublicam deponi; non tamen hinc *efficaciter* deducere poteris, *euidens esse, reimpublicam esse immediatam causam efficientem, donatiuã, & collatiuam iuris Regij*. Qui enim potestatem Regiam à iure naturali, sed potestatis titulũ à republica immediatè prouenire defendunt, simili planè modo tibi respondere poterunt, quo Theologi Parisienses respondent, posse summum Pontificem ob crimina quædam valde scandalosa per Ecclesiæ auctoritatem Pontificatu priuari, & nihilominus non omnes concedunt, Ecclesiam esse immediatam causam efficientem, donatiuam, & collatiuam Pontificiæ potestatis. Similiter Victoria,

tia, & Couarruuias superiùs[k] relati existi- [k] Nu. 158.
mant, posse Reges per Pontificem ob crimen hæresis, & forsan ob tyrannidem ciuilem per rempublicam regnandi auctoritate priuari, nolunt tamen propterea admittere, potestatem Regiam esse aut à Pontifice, aut à republica ciuili in Principes immediatè, efficienterque deriuatam.

183 Illud verò, quod ex S. Petro adducis, nempe *Regem cum sua potestate appellari humanam creaturam, id est, ab hominibus immediatè, efficienterq; constitutam*, potiùs concionatoris, quàm Theologi conceptio est; illudque *(cum sua potestate)* non sacræ paginæ contextus, sed vanum tui cerebri commentum est. An non subtiliter ita argumentari te credis? *subiecti estote*, inquit S. Petrus, *omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, &c. ergo Rex cum sua potestate appellatur humana creatura, id est, ab hominibus immediatè, efficienterq; constituta.* Similiter enim argumētari quis posset, *Omnis Pontifex*, inquit *Sanctus Paulus, *ex hominibus assumptus, &c. igitur Pontifex suam potestatem Pontificiam ab hominibus immediatè, efficienterq;* * Ad Hebr. 5.

enterá desumit. Quapropter sicut Pontifex *ex hominibus assumptus* esse dicitur, non quia homines potestatem illi tribuunt, sed quoniam personam Pontificis designant, quæ quidem designatio est conditio, sine qua Christus potestatem Pontifici non tribueret; ita Rex *humana creatura* nuncupatur, quia ex libero hominum consensu primùm Rex creatus est, & potestatis Regiæ titulum, seu designationem in Regem ab hominibus accepit, siue respublica ciuilis, siue Deus, vt Auctor legis naturalis ipsam potestatem Regiam illi immediatè contulerit.

184 Non igitur manifestum est, vt tu asseris, potestatis regiæ immediatã causam efficientem, donatiuam, & collatiuam esse originaliter rempublicam, quin potiùs contrarium ex tuis principijs manifestè colligitur. *Iurisdictio enim*, vt ais, *non datur nisi à superiore, non est autem Ecclesia superior Pontifice, sicut neque membra capite eminentiora, inde concluditur, solam efficientem causam potestatis Pontificiæ esse Christum Dominum.* An non vides hanc tuam rationem totidem planè verbis potestati Regiæ accommodari posse? Nam respublica non est

1 Nu. 23. tui l.

Rege

Rege superior, sicut neque membra capite eminentiora, & proinde, cum iurisdictio non detur nisi à superiore, rectè ex tua doctrina concluditur, Rempublicam non esse causam efficientem Regiæ potestatis. Quòd si de Rege loquaris, antequam in Regem designetur, quo pacto Respublica est procul dubio Rege superior, idem quoque de Pōtifice dicendum est, ipsum Pontificem, antequam in Pontificem deputetur, Ecclesia superiorem non esse, sed illi, tanquam filium matri, in spiritualibus subiectum. Vides itaque quàm pulchram rationem tumetipse attuleris ad sententiam tuam de immediata causa Regiæ potestatis optimè refellendam.

185. Hac igitur tua indocta meæ Apologiæ confutatione in caput tuum retorta, iam tandem huius tui libelli conclusionem audiamus. Ita ergo peroras.

m *Atque hæc habes charissime, quæ pauculis horis descripta de hac re tota iudicium meum tibi aperirent; non enim historias, & res gestas summorum Pontificum huc adferre volui, sed ea solum communia principia in medium adducere, quæ à nullo Catholico iure negari posse videantur, atque inde in sententiam veritatis* m Num. 14. tui lib.

quàm breuissimè veluti per capita, & strictim differere mihi fuit institutum. Atque post paucula de iuramento fidelitatis per modũ querimoniæ inserta, ita libellum tuum concludis, *Vale charissime, & multum honorande, atque istis fruere sicut apud te consultũ fuerit.*

186 Si tuus iste libellus, quem ego plurimis horis transcribere vix potui, sicut pauculis horis descriptum esse ais, ita pauculis quoque horis à te confectus fuerit, vtrùm tam immaturum animi tui fœtum ita intempestiuè abigendo, & illum in publicum prodire, si ita amico tuo expedire videretur, permittendo, considerate, prudenterque egeris, viris prudentioribus iudicandum relinquo. *Historias, & res gestas summorum Pontificum huc adferre nolaisti*, quibus tamen potestatem hanc spiritualem Principes suis dominijs priuandi potissimùm sustentari nimis manifestum est. Nam si à Pontificum factis abstrahere volueris, neque sacrarum literarum auctoritas, neque sanctorum Patrum testimonia, neque aliqua Ecclesiæ definitio, nec ipsa ratio naturalis vllum sufficiens pro hac potestate argumentum tibi suppeditabunt, vt

ex

ex ijs, quæ in mea Apologia ad rationes Card. Bellarmini respondi, satis euidenter apparet; quæ impugnandi quoniam tu, viribus tuis fortasse diffisus, spem omnem perdideras, ad alia subsidia confugere consultius esse iudicasti, *& ex solium communia principia in medium adducere* prætendis, *quæ à nullo Catholico iure negari posse videantur, atque inde in sententiam veritatis quàm breuissimè per capita, & strictim disserere tibi fuit institutum.*

187 Qualia principia adduxeris, & an talia sint, quæ à nullo Catholico iure negari possunt, iam satis, ni fallor, exploratum habes. Nam, vt ex supradictis facilè constat, sunt ex illis quædam euidentissimè falsa, scandalosa, & supremis Principibus iniurioſa: Alia valde dubia, incerta, atque solùm in hominum opinione posita: Cætera, si vera sint, ad controuersiam tamen, quæ inter nos instituitur, de potestate Papali Principes abdicandi dirimendam, nihil prorsus conducunt. An autem ex principijs falsis, dubijs, aut tametsi veris, cum quæstione tamen, quam probare instituis, minimè connexis, conclusionē *de fide certam* deducere valeas, ad notissimam Dialecticorum

lecticorum regulam, quæ non maiorem certitudinem conclusioni, quàm præmissis attribuit, temetipsum remitto.

188 Denique, vt exulceratam tuam conscientiam patefacias, *Pupugit te*, [n] ais, *licet & id antea persenseras, quod sæpius inculcat Widdringtonus ex Trithemio asserente, disputationem hanc de summi Pontificis auctoritate in temporalia non esse definitæ, certæque veritatis, adhuc litem ad Iudicis tribunal pendere*. Si sola Trithemij auctoritas te pungit, (cum tamen ego plures alios cum Trithemio consentientes, quibus pungi meritissimè poteris, in mea Apologia attulerim) quare illi nullam penitus responsionem adhibes? cur aculeum istum, quo te pungi profitetis, menti tuæ, Lectorisque tui animo infixum adhuc relinquis? An non te etiam pungit auctoritas Petri Pithæi, *viri*, teste Possevino, [o] *verè eruditi, & antiquitatis seduli perquisitoris*, qui ait, *non posse summum Pontificem Regem Franciæ suo Regno privare, aut alio quouis modo disponere, vtque subditos ab obedientia, pro temporalibus Regi debita, absoluere*? Quid dicis ad Cardinalem de Pelleue, cæterosque Franciæ Prælatos in generali Ordinum cõ-

[n] Nu. 25. tui libelli.

[o] In Apparatu, verbo, Petrus Pithæus.

uentu

uentu Parisij congregatos, qui decretum illud Concilij Tridentini, in quo permissio duelli Regibus interdicitur, recipere noluerunt, quia, vt inquiunt, *est contra auctoritatem Regis, qui non potest priuari suo dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem recognoscit?*

189 Quid ais de Ioanne Parisiensi affirmante, *Excommunicationem, vel aliam similem pœnam spiritualem esse vltimam, quã Iudex Ecclesiasticus inferre potest, qui tametsi habeat homines in Deum reducere, & à peccato retrahere, hoc tamen non habet nisi secundùm viam à Deo sibi datam, quæ est separando à Sacramentis, & participatione fidelium?* De Iacobo similiter Almaino asserente, *potestatem Ecclesiasticam non posse mortem, exilium, bonorum priuationem, &c. aut vllam talem pœnam ex institutione diuina infligere, immò nec incarcerare, vt plerisque Doctoribus placet, sed ad solam pœnam spiritualem extendi, vtputa Excommunicationem; reliquas autem pœnas, quibus vtitur, ex iure purè positiuo esse?*

190 Nonne testimonium nostri Alexandri de Hales, testis profectò irrefraga-

bilis, omniq́ue exceptione maioris ᵖ conſcientiam tuam meritò ſtimulat, qui docet, *Regem eſſe quidem ſummo Pontifici ſubiectũ, ſed quoad pœnam, ſeu vindictam ſpiritualem, non corporalem, & materialem, qua vindicta, ſi delinquat, non habet, qui eum puniat niſi Deum?* Mitto Guilielmum Barclaium in ſuis libris de Regno Pariſijs cum priuilegio Regis Chriſtianiſſimi impreſſis, Cardinalem Cuſanum, Albericum, Sigebertum, Nicolaum Papam, Ioannem Papam, S. Auguſtinum, alioſq́ue complures in mea Apologia citatos, quorum ictus, cum ſola Trithemij auctoritas te pungat, quomodo declinare valeas, ego ſatis perſpicere non poſſum. Sunt enim omnes viri Catholici, atque non tam ſingulari doctrina, quàm probitate præditi; quorum animæ, cum iam per Dei miſericordiam in pace requieſcant, an non continuis conſcientiæ ſtimulis cruciari prõmereris, qui eorum exiſtimationi tam enormiter detrahere non reformidas, & ex communibus tantùm principijs, ijſq́ue, aut falſis, aut dubijs, aut ad rem non pertinentibus, eos, eorumq́ue ſequaces *hæreſeos*, ac *Ethnitiſmi condemnare*, atque alijs, prout conſultius

ᵖ *Nam & Doctoris irrefragabilis cognomen accepit, ſuamque Theologiæ ſummam* (in qua hæc verba habentur) *inſſu Innocentij quarti conſcripſit, quam poſtea Alexander quartus diplomate, & ſeptuaginta virorum Eccleſiaſticorum ſyngraphis comprobauit.* Poſſeuinus in Apparatu, verbo, Alexander Halenſis.

tius iudicarent hanc tuam cenſuram euulgandi poteſtatem facere non perhorreſcis.

191 Poſtremò, vt finem tecum expoſtulandi faciam, *tu te Regi noſtro ſereniſſimo fideliſſimè ſubditum* appellas,[q] vide igitur vt in poſterum opere compleas, quod verbo profeſſus es, Cæſari reddẽs, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſũt Dei, Deo. Sicut enim *honor Regis*, teſte Propheta[r], ita & Pontificis, *iudicium diligit*, & propterea, cum vtrique in ſupremo ſubiectionis gradu ſubditus ſis, ita te vtrumque venerari oportet, vt ex nimio erga vnum affectu, alteri, quod ſuum eſt, nequaquam ſurripias. Sacerdos es, & Theologiam profiteris, caue, ne deinceps ob humanum aliquem reſpectum, auramve popularem, aut conſcientia, aut ſcientia tua abutaris, neque in charitatis legem tam facilè commitras, vt viros Catholicos, quique pro fide Catholica tuenda duriſſima quæque perferre, æquè ac tumetipſe, paratiſſimi ſunt, hæreſeos, aut *Ethniciſmi* nimis temerè condemnes.

[q] Ad finem tui libelli.

[r] Pſal. 98.

192 Egoſanè me Eccleſiæ Catholicæ Romanæ filium, tametſi indigniſſimum, eſſe profiteor, eiuſque indicio, memet in omnibus quã humillimè ſubijcio, & quic-

quid ipsa de fide credendum fidelibus proponit, libentissimè amplector: omnem hæresim, atque Ethnicismum, quam ipsa talem esse definit, quàm maximè detestor; non tamen omni illi doctrinæ, quam vel Card. Bellarminus, pace eius dixerim, vel alius quicunq; Doctor, cùm certa fidei nostræ regula à Deo constituti non sint, Catholicam esse, vocem Ecclesiæ esse, Conciliorũ sensum esse proclamant, si præsertim aliqui Doctores Catholici contrarium sentiant, indubitata fide assentior. Illos quidé vt par est, debita veneratione suspicio, ipsorumque auctoritati plurimùm attribuo; attamen, vt hanc meam ad tuas falsas criminationes responsionem cum S. Augustino concludam, *Ego solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senti-unt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

f Epist. 19. ad Hieron. tom. 2.

EX

EXEMPLAR LITERARVM CVIVSDAM DOCTORIS THEOLOGI, IN quibus ROGERI WIDDRINGTONI pro Iure Principum Apologiam tanquam fidei Catholicæ apertè repugnantem, atque Ethniciſmum ſapientem, falſò, indoctè, & ſeditioſè criminatur.

Chariſſime, & multùm honorande.

ACcepi non ita pridem à te literas, in quibus à me obnixè contendis, quidnam ſentiam de Rogeri Widdringtoni Apologia, adeoque de re ipſa tota, ac controuerſia tibi ſignificarem. Agnoſcens ſummum illud ius tui in me acquieui poſtulatis, haud ignarus tamen nullam ſubeſſe cauſam, ob quam iudicium meum magni æſtimares, vel tua multum referre, vti illud à me reſciſcas. Quale autem ſit, quoniam id à me poteris

tuo

tuo iure vendicare, istis quàm brevissimè, & quasi raptim per rerum capita discurrente stilo expressum habeas. Fama accepi de hac ipsa quæstione præclarè scripsisse Illustrissimum Cardinalem Bellarminum, & alium Ordinis Augustiniani Religiosum, quorum opera videre nondum mihi licuit: quod verò in me erat, & in promptu hac de re animo complexum, exaratum nunc ad te mitto, nostræque amicitiæ dicatum volo.

2 Duo sunt præcipua fundamenta, quibus innixus Widdringtonus impugnat Ecclesiæ potestatem ad deponendos Principes, qui hostes sunt Ecclesiæ. Primum in hoc collocatur, quòd iudicet Ecclesię potestatem ita esse merè spiritualem, vt non alia obiecta seu media habeat ad consequendum, & protegendum suum finem spiritualem constantem ex gratia Dei, & virtutum muneribus in hac vita, atque ex vera beatitudine in altera, nisi eadem analogia purè spiritualia, vtpote verbi prædicationem, administrationem sacramentorum, Excommunicationem, atque censurarum districtiones. Ex quo concludit, non posse summum Pontificem aliter animaduertere

maduertere in Principem delinquentem hæresi, vel apostasia, impedientemque finem dictum spiritualem Euangelij, nisi in ipsum edicendo sententiam Excommunicationis, alteriusve censuræ, vel opera pietatis exercendo, vnde sperari possit diuini numinis fauore reuocandum quandoque ad saniorem mentem.

3 Alterum in hoc positum videtur, quòd reputet secum Iuramentum fidelitatis Principi præstitum esse indispensabile, & non obedire in ciuilibus esse vsque adeo in subdito intrinsecè malum, vt ex nullo honesto fine, aut euentu, vllove in terris imperio possit virtute, ac rectitudine moris infigniri. Atque hinc elicit non posse puniri Principem damno temporali quantumuis hæreticum, vel atheum, nisi à solo Deo; neque proinde posse Pontificem illi adimere imperium in iuratos subditos, vel hosce absoluere à vinculo Iuramenti suscepti ab ipsis.

4 Hæc duo fundamenta, præterquàm quòd *Ethnicismum mihi videntur sapere*, atq; in lucem nostræ ætatis reuocare obsoleta veterum Imperatorum numina nulla lege, aut iure coercenda, quantumuis insa-

nire

nire,& in genus humanum illis furere libitum fuerit,Ecclesia interim adducta in euidentissimum periculum, & quasi obiecta in prædam malorum Principum auiditatibus, insuper *fidei Catholicæ veritati aperiè repugnare* apud me exploratissimum;quod singillatim, ac seorsim istis ostendere aggrediar.

5 Potestas Ecclesiæ, siue summi Pontificis,sine dubio spiritualis est,& diuinitùs impertita, non naturæ, aut iuris gentium virtute aliqua propagata;quocirca absolutè, & simpliciter nominanda spiritualis, quandoquidem à Christo Domino per illam suam potestatem excellentiæ,quæ spiritualis, in summum Pontificem Petri successorem collata. Haud tamen ignoro istam potestatem Pontificiam ab aliquibus temporalem appellari ratione nomenclaturæ desumpta ab obiecto,quod interdum temporale. Verùm huiusmodi nuncupatio oritur ex denominatione quadam extrinseca desumpta ab obiecto, quod est interdum temporale, vt postea constabit. Cæterùm sicut ipsa potestas in se formaliter considerata, & vt est principium efficiens suorum actuum,ac munerum, est spiritualis,neque

aliter

aliter ferrur in temporalia, nisi vt conducunt in finem spiritualem, idcirco iuxta potiorem, & principaliorem considerationem istius potestatis dicenda omnino spiritualis, in temporalibus licet occupata. Atque hæc dicta sint, vt euitetur amphibologia, & æquinocatio vocum, omnisque controuersia, quæ de nomine moueatur.

6 Hæc tamen potestas non est ita spiritualis, quasi non sit occupanda circa temporalia, vt euidenter constat ex Scripturis. Etenim Apostoli ex diuino iure accepêre à Christo Domino potestatem eundi, & intrandi in omnes terræ regiones, illis verbis expressam: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Atque hæc eadem potestas tanquam sementum spirituale adhuc reperitur in Ecclesia, & in summo Pontifice, mittendi Sacerdotes, & verbi præcones in exteras nationes ad prædicandum, & baptizandum, & id de fide est prorsus indubitatum. Vnde certum quoque posse hos ita missos intrare in regna quæuis, & prouincias, ibi manere, seipsos alere, vestire, aquam sibi comparare ad baptizandum vi iuris diuini, etiamsi Principes eorum loco-

Mat. 28. Marc. 16.

rum

rum ſuis legibus, & edictis repugnarent. Hinc etiam conſequens, eodem iure poſſe, ac debere ſubditos iſtorum locorum eoſdem viros Apoſtolicos benignè accipere in ſuas domos, fouere, alere, veſtire ſuis expenſis, vt modò in Anglia fit, licet Principes contrarium inberent. Quòd ſi Principes ex ſolo affectu in Ethniciſmum, Turciſmum, aut hæreſim, impugnarent innocentiam iſtorum eos occidendo contra ſacramentum Clericatus, exturbando contra ius diuinum, & Eccleſiaſticum, quo ibi manent, aut prohibendo ne audiantur eorum conciones, ne excipiantur in ſubditorum ædes, aut ne illis aqua concedatur ad baptizandum volentes baptizari; ſicut eiuſmodi Principum reſiſtentia eſſet impia, iniuſta, ita leges inde latæ in rebus temporalibus non obligarent ſubditos, ſed innocentia, & poteſtas iſtorum Euangelicorum hominum iure Eccleſiaſtico delato in temporalia, ab ipſis, vel etiam exteris defendi poteſt, ac interdum debet.

7. Verſari porrò Eccleſiæ ſpiritualem poteſtatem circa temporalia fide conſtat ex ipſis priuilegijs exemptionum, quibus gaudent Clerici. Nam huiuſmodi exemptio

tio conceditur vel iure diuino à Christo Domino declarato, cùm Petro dixerit, *ergo liberi sunt filij*, soluti nempe à pensitatione vectigalis, atque in vniuersum à subiectione legis ciuilis coercitiua, vt præclarissimè Theologi cum B. Augustino arbitrantur, vel iure Ecclesiastico propter bonum religionis, spiritualis potestas, qua pollet Ecclesia, potest illos eximere, vt constat ex Concilio Chalcedonensi, & Lateranensi. Sicut ergo de fide est propter bonum, & honorem deferendum religioni, iure posse Ecclesiam Clericis priuilegia exemptionum attribuere, scilicet ne Clerici trahantur ad fora secularia, neve puniantur à seculari Magistratu, ita eadem fide stabilitum spiritualem Ecclesiæ potestatem se extendere ad temporalia, non etiam requisito Principum temporalium consensu, immò tametsi vi, & armis aduersarentur. Fit verò exemptionis iure hominem, qui priùs tenebatur comparere coram Magistratu ciuili, iam non obligari, qui priùs in militiam iure ciuili à Principe adscribi poterat, iam non esse communi iure adscribendum: quæ omnia temporalia sunt, ergo de fide certum spiritualem Ecclesiæ potestatem

Mat. 17.

Aug. l. qq Euang. q. 23.

Chalced. Can. 9. Lateran. 3. Greg. l. 1. epist. ep. 133. 147.

sibi

sibi subiectam habere rem temporalem pro bono finis spiritualis. Quòd si quis ausus esset infirmare dicta Concilia, quæ huiusmodi priuilegia concessere in rebus temporalibus, excessisse vim, & modum potestatis spiritualis in Ecclesia, meritò habendus pro hæretico: veluti si diceret Ecclesiam in moribus errasse, ac Regum iuri contra æquitatem detraxisse: tametsi verò Principes in hæc ipsa priuilegia consenserint, nihilominus nulla facta mentione Principum, Conciliorum Canones, & Patrum dicta ea absolutè præscribunt, ac iubent, quod argumento est, sufficientem esse de se Ecclesiam pro bono religionis ad stabilienda ea priuilegia in temporalibus.

8 Porrò Saluator noster in certo casu dedit etiam priuatis potestatem in famam alterius, multo magis eandem suæ Ecclesiæ summo Pastori concessisse existimandum. *Dic Ecclesiæ*, ait Christus, perinde ac si ita loqueretur, si frater tuus tibi iniuriam aliquam intulerit, priuatamque admonitionem contempserit, publicè eum accusa, & traduc vt malefactorem. Habet itaque Ecclesiæ potestas spiritualis sub se famam

Mat. 18.

delin-

delinquentis, quæ quidem fama est res tẽporalis, ergo de fide stabilitum spiritualem Ecclesiæ potestatem peruadere ad rem temporalem; Immo adiungit Christus, *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã Ethnicus, & publicanus*, ergo fide exploratum posse Pontificem statuere quis sit habendus pro ethnico, & publicano. Haberi autem pro ethnico; & publicano est res temporalis, vtpote pœna temporalis delinquentiũ. *Quod si oculus tuus dexter*, inquit Christus, *scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, & si pes tuus te scandalizat, amputa illum*; oculus autem, & pes, quæ homini iure naturæ charissima, non solum significant propensiones naturæ deprauatæ, vel affectiones appetitus concupiscibilis, & irascibilis, sed in vniuersum obiecta, & occasiones nociuas respectu animæ alioquin amabilia, vtpote patrem, matrem, sorores, fratres, superiorem sollicitantes nos ad malum, qui in certis casibus vt oculus, & pes eruendi, amputandi: ergo est in summo Pontifice spiritualis potestas eruendi spiritualiter hosce oculos, & amputandi pedes, qui homines ducunt in vitia, hoc est, separandi aliquos à suis amicis, & superioribus

quantum ad domeſticum conuictum, ad-
deoque ciuile commercium, ſi id fuerit a-
nimæ bono neceſſarium, quod quidem
genus diſciplinæ amputatione, & effoſſio-
ne conſtans, rerum temporalium naturis
continetur. Atque verbis Euangeliſtæ Io-
annis hoc ipſum videtur expreſſum, dum
iſtos adloquitur commorantes cum malis,
Apoc.18. & hoſtibus fidei, *Exite de illa populus meus*,
ſcilicet de Babylone, quod ſine dubio in-
telligitur de ſeceſſione corporali, ſeparati-
oneque ciuili: poteſt ergo ſpiritualis ſummi
Pōtificis poteſtas præcipere aliquibus hunc
diſceſſum, & digreſſum à Superiore quo-
cunque hæretico, vbi ipſorum animæ ex
ciuili neceſſitudine periclitantur, quod ni-
hil eſt aliud, quàm rem temporalem impe-
rare. Hoc ipſum probant quoque verba
Tit.3.2.Ioh. Apoſtolica, quibus denuntiatur, hæreti-
1.Cor.5. cos, & notoriè malos deuitandos, haud
admittendos in domum, non eſſe cum illis
cibum ſumendum, neque ſalutationis vo-
ce, vtpote Aue, compellandos. Cum itaq;
hæc prohibita, nempe admiſſio in domū,
ſalutatio dicendo Aue, abdicatio cōſortij,
repudium menſæ, ſint res temporales, atq;
ad ipſum Pōtificē pertineat declarare, quis

ſit

sit hæreticus, quis notoriè malus, ac proinde deuitandus, quis non admittendus in domum; quis non salutandus verbo Aue, vel honorandus, cum quo non sit vescendum, fide clarum est, potestati eiusdem Pontificis spirituali res temporales subijcî pro bono fidei, & religionis.

9 Literæ quoque Apostolicæ quædã alia particularia designant, ex quibus euidens est iuxta fidem, spiritualem Pontificis potestatem sese extendere posse ad temporalia. Dicit Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, vnde elicitur sensus ab Ecclesia, posse summum Pontificem temporalia quædam præscribere, & alia prohibere respectu Cleri addicti sacris rebus ex voto, & vitæ genere; vtpote quando prohibet, ne Clerici exerceant mercaturas, aut quæstum consectentur ex certis vitæ negotijs, ne sese misceant in causis pertinentibus ad sanguinem, ne artem medicam aut chirurgicam profiteantur, ne militiam in se suscipiant, ne vestes induant vulgares, aut alias quàm à sacris Canonibus constitutas, ne appellationem faciant ad tribunalia ciuilia; atque teste B. Cypriano, in Ecclesia primitiua Concilij Aphri-

2. Tim. 2.

cani canone erat Sacerdotibus interdictum ſuſcipere in ſe curam pupillorum, adeoque ex teſtamento deligentes Sacerdotes ad hoc munus puniuntur legis iuſſu carituri ſuffragijs, quæ mortuis ad altare impendi ſolent, dicentibus Concilij illius Aphricani Patribus, indignum eſſe illum, pro quo oretur ad Altare, qui Sacerdotem auocare voluit à ſacris occupationibus, & Altari debitis officijs. Hinc ergo ex fide manifeſtum ſpiritualem ſummi Pontificis poteſtatem complecti in ſe vti proportionatam materiam res temporales. Nam quid aliud ſunt genus veſtium, vitæ qualitates, tutorum deſignationes, auocationes à turbis, & rebus mundi, quàm temporalia ſubiecta tam foro Eccleſiæ, quàm foro ciuili, ex diuerſo tamen fine, & inſtituto? Vlteriùs oſtendit B. Paulus iure diuino eſſe in Eccleſia Dei poteſtatem diſpenſandi in voto, ac promiſſione vxoria, atque dirimendi ex parte eius aliquid, quod alioquin, & ante certum euentum iure naturæ, & ciuili, obligationem in conſcientia obtinebat, vtpote quando ex ſententia ſummi Pontificis coniunx, quæ abſque fidei diſpendio habitare non poterat cum marito infideli,

ſoluitur

soluitur à sua promissione matrimoniali, quantum ad thorum, & cohabitationem domesticam, & libera manet ad discedendum; qui quidem discessus, & negatio thori, & cohabitationis, sunt res temporales, ergo fide patet spiritualem Papæ potestatem idoneam sibi habere rem temporalem, immò iure naturæ aliàs debitam, vti materiam & obiectum, quam etiam interdum dissoluat, & in qua dispenset pro bono fidei, & religionis.

10 Idem Apostolus causam agens Onesimi apud eius dominum Philemonem, qui licet aliquando erat inutilis, immo fortassis nociuus, & iniurius Philemoni, susceptum tamen in ipsius patrocinium declarabat immunem ab illis, quæ alioquin ipse Philemon poterat infligere, & omnino liberatus à seruitute, qua ante baptismum tenebatur. Dicit enim Apostolus Paulus potestatem spiritualem acceptam à Christo se obtinere, qua iubeat Philemonem excipere reducem Onesimum non vt seruum, sed pro seruo charissimum fratrẽ, & immunem esse iam ab omni satisfactione, cui ex culpa quandoque obnoxius. *Si autem aliquid tibi nocuit, aut debet, hoc* Philem. 1.